CANTALICII

EPISCOPI ADRIENSIS ATQUE PINNENSIS DE BIS RECEPTA PARTHENOPE

GONSALVIÆ

LIBRI QUATUOR.

Præclarum ac perrarum Poema, impreſſum primo Neapoli anno 1506. nunc denuo excuſum, multis mendis, quibus antea ſcatebat, expurgatum, ſuoque priſtino nitori reſtitutum.

NEAPOLI

TYPIS JOANNIS GRAVIER

MDCCLXIX.

Superiorum Facultate.

AMPLISSIMO

ET ILLUSTRISSIMO PRINCIPI

ANTONIO CORDUBÆ

CARDONÆ

SUESSANORUM DUCI, ET HISPANIÆ REGIS ORATORI APUD PONTIFICEM MAXIMUM.

JOANNES MARIA BERNAUDUS.

BErnardinus Bernaudus, Illustrissime Princeps, frater avi mei germanus, cui tantum familia nostra debet, quantum persolvere difficile est, cum multa pro suis Regibus Aragoneis, quibus totum se addixerat, egisset, ab Alfonso, & Ferrandino, qui ejus fidem & solertiam multis in rebus periclitati sunt, missus ad Catholicum Regem invictissimum, ut labenti & inclinato regno subveniret, ita liberaliter a Rege illo exceptus est, ut non solum, quæ suorum Regum nomine petierat, impetraverit, verum etiam perfecerit, ut Consalvum Hernandum Hispaniæ lumen, & militiæ decus ad illos transmitteret. Qui una cum Bernardino solvit ex Hispaniis, ac tanta inter eos conflata est benevolentia, quanta inter patronum, & clientem conflari par est. Consalvus enim unum illum sibi eligit, cui omnia committeret, ac intimos sui animi recessus aperiret, plurimisque beneficiis ditaret. Bernardinus contra tantis auctus ab eo & honoribus, & dignitatibus, Consalvum unum observabat, & admirabatur, totusque ex ejus ore & nutu pendebat: cumque suum diem obiret, hortatus est filium, & totam nostram familiam, ut nulli unquam servitutem servirent Principi, nisi Magno illi Duci, aut ejus successoribus, unum Consalvum in ore haberent, in oculis gestarent, cui soli omnia deberent; quod a nostris summa cum religione observatum est, & observabitur, dum vivet familia Bernauda, non minus Magni illius Herois, quam tui nominis studiosa. Ego autem quum nihil a me proficisci sperem, quo animi mei propensio in familiam tuam clarissimam innotescat, aliunde mihi auxilium petendum putavi. Quare cum in manus meas per-

venerint Cantalicii Pinnensium & Adriensium Antistitis Poemata, quibus omnia, quæ Dux Magnus in Italia gessit, dilucide & breviter explicavit, typis cudenda, & nomini tuo inscribenda curavi. Nemo enim ex tot ac tantis scriptoribus, qui Consalvi gesta literis mandarunt, ita omnia examussim, & vere, & explicite complexus est, ac unus Cantalicius, qui rebus omnibus interfuit. Fuit enim ex Aulicis invictissimi illius Ducis, illumque in omnibus itineribus, & expeditionibus prosequutus est. Has autem tanti viri elucubrationes cui potius dicarem, quam tibi? cui potius debentur quam tibi? cum & proavi tui virtutum omnium genere cumulatissimi laudes, & benefacta ita graphice depingant, ut oculis pene videnda proponant. Quod nullus, aut rari post Sallustii, & Titi Livii interitum assequuti sunt. Cum Magni illius imaginem præseferas, nec minor in te eluceat prudentia, rei militaris peritia, animi magnitudo, & benignitas pene singularis, quam enituerunt olim in tuis majoribus; quorum omnium memoriam, & gloriam virtute tua ita renovas, ut nostra ætas tanto lumine effulgens, nulli unquam ætati aut Cæsares, aut Alexandros invideat. Hæc igitur, tanquam tua, tibi mitto. Quæ si grata tibi fuisse perspexero, omnia mihi ex sententia obtigisse putabo, daboque operam, ut non indignus tibi videar, quem tu in tuorum clientium numerum adscribas. Vale seculi nostri decus, & Bernaudorum præsidium & ornamentum. Cosentiæ, Kal. Junii M. D. XCII.

JOAN.

JOANNI MARIÆ BERNAUDO

EQUITI PERILLUSTRI.

HENRICUS BACCHUS S. D.

HEroicum Poema Reverendissimi Cantalicii Adriensium & Pinnensium Antistitis de rebus in Italia præclare gestis a Magno Duce Gonsalvo Fernando, supra centesimum ab hinc annum in lucem editum, (quia a plerisque doctis viris magnopere exoptatur) dedi operam, ut typis denuo excuderetur, tibique, perillustris Eques, optimo jure dicare volui. In eo enim inter cæteros bellica laude florentes celebratur Bernardinus ille Bernaudus, Philippi Bernaudi proavi tui filius, cujus in difficillimis rebus prudentia, consilium, solertia, fides, animi corporisque robur extitit singulare: mitto legationes ad summos Principes feliciſſime obitas; quibus virtutum ornamentis factum est, ut Fernando Regi Aragonio, ac Magno Duci Gonsalvo gratissimus in primis fuerit. Neque vero Cantalicii tantum Musa egregia Bernaudi facinora decantavit; sed ea Pauli etiam Jovii æterna historia immortalitati commendavit. Quid plura? in Hispaniarum quoque chronicis, atque adeo ultra montes Bernaudi hujus eximia domi, forisque virtus non vulgari effertur encomio; eademque (ut reliquos cum Historicos, tum Poetas taceam) nuperrime Francisci de Petris egregio carmine celebratur. Cujus præclara Bernaudi vegistia posteri æmulati, non se degeneres, sed tanto stipite dignos paribus se se factis præstitere. Nam Ferdinandus Bernaudus patruus tuus Centurio fortissimus Carolo Quinto Imperatori in multis bellis strenuam navavit operam; cujus quoque Ferdinandi Marchio etiam Vasti, necnon Princeps Orangius militarem virtutem sæpius commendarunt. Insuper Fabius, ac Philippus Bernaudus fratres tui in expeditione ad Tripolim Africæ sub Metinensi Duce, Siciliæ tunc Prorege, avitum generis splendorem fortiter pugnando adauxere. In Melitæ quoque obsidione adversus Turcas acerrime Philippus Bernaudus decertando se præstitit memorabilem. Verum, ut omittam alios quamplurimos Bernaudæ familiæ viros insignes, illustrissimum Ferdinandum Bernaudum Bernaudæ Ducem silentio præterire non patior, quem suis, vestrorumque majorum meritis invictissimus Rex Philippus peramplis

hono-

honoribus exornavit. De te autem, Eques clarissime; ne auribus tuis servire videar, nihil profero; res enim est perspecta, qualis, quantusque domi militiæque semper fueris. Accipe igitur libenti animo hoc munusculum, in quo Bernardini Bernaudi, Philippi Bernaudi proavi tui filii, illustria facta commemorantur. Vive diu felix, meque in tuorum numero serva. Neap. Kalendis Maiis 1607.

CAN-

CANTALICIUS

ADRIENSIS ATQUE PINNENSIS EPISCOPUS

INVICTISSIMO CATHOLICI REGIS EXERCITUS IMPERATORI

GONDISALVO FERNANDO S. D.

Nisi me sententia fallit, Dux omnium invictissime, nemo est mortalium, qui rerum præclare gestarum gloria, ac dulcedine non trahatur. Neque illi ipsi tam celebrati Philosophi, qui de contemnenda gloria libros scripsere, eo desiderio caruerunt. Nam in eo ipso, in quo prædicationem, nobilitatemque despicere visi sunt, prædicari, ac nobilitari maxime voluerunt. Virtus enim nullam aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præter laudem & gloriam. Ea detracta, quid est quod in tam brevi vitæ curriculo, ut Cicero ait, in tantis nos laboribus exerceamus? Themistocles ille vir summus Atheniensis, quum interrogaretur, cujus vocem libentissime audiret, respondisse fertur, ejus a quo sua virtus optime prædicaretur. Alexander quoque Magnus, qui a rebus quas gessit magnis, quemadmodum Tu, Magnus est appellatus, rerum suarum scriptores permultos dicitur habuisse. Tamen quum in Sygæo ad Achillis tumulum constitisset: o fortunate, inquit, adolescens, qui tuæ virtutis præconem Homerum inveneras. Ac si diceret: Utinam ego rerum mearum scriptorem talem sortitus essem. Hic idem Alexander, qui, sicut Tu, cum virtute fortunam æquavit, Theophanem Mitylenæum rerum suarum scriptorem in concione militum civitate donavit. Marius Lucium Plotium vehementer amavit, cujus ingenio ea, quæ gesserat, celebrari posse putabat. Huic quoque jucundissimus fuit Archias Poeta, quoniam adolescens ejus res Cimbricas attigisset. Scipioni Aphricano propter res scriptas charissimus fuit Ennius Rudiensis, ita ut Scipionum sepulchro constitutus fuisse putetur. Quod si antiquis Imperatoribus gestarum rerum scriptorum copia defuisset, idem sepulchrum, quod eorum corpora texit, famam etiam obruisset. Sed fuit antiquorum hæc felicitas Imperatorum, qui non modo in suis rebus bellicis, verum in suarum laudum scriptoribus fuere fortunatissimi. Nostris vero his temporibus tam rerum actores, quam scriptores pariter desunt. Immo, ut satyrice Plinius ille nepos inquit, postquam desivimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus.

At-

Attamen ne nostra hæc ætas omnino infortunata nominaretur, quæ bellicæ artis, militarisque disciplinæ tantam inopiam patitur, Dii te unum nostris temporibus reservarunt. Quem nos non modo cunctis Imperatoribus, priscisque Ducibus æquiparandum censemus, sed præferendum esse sine adulatione contendimus. Illi enim secum fortunam prosperam comitem habuerunt: Tu sola prudentia res incomparabiles peregisti; & quod admiratione, ac laude magis est dignum, eas ita fore, ut successerunt, multo ante quam succederent, prædixisti. Neque Tu, Ducum omnium invictissime, adulatione aliqua eges in rebus tuis. Quippe tam grandes, veræque sunt, ut neque eas invidia valeat diminuere, neque blandus laudator efficere meliores. Scriptores tantum tuarum rerum tibi deesse sine controversia confitemur. Sed quum sis cunctis Imperatoribus, ac Ducibus incomparabilis, nec pares scriptores rebus tuis habere liceat: quid nobis agendum fuit, qui inter nostræ memoriæ Poetas exiguos minimus omnium mereor appellari? Nunquid committendum erat, ut tuæ res gestæ in tenebris suppressæ jacerent? Absuit certe ab affectu nostro, qui tuarum virtutum gerimus mancipatum, talis ingratitudo. Maluimus enim anseris strepitus circa tuas laudes emittere, quam ingratitudinis crimine condemnari. Decebat præterea me tributarium Episcopum tuum tibi aliquid afferre tributi, quo posses immortalitatem sortiri. Qui Regnum hoc Neapolitanum solus Aragonensibus nostris ex Gallorum mediis faucibus haud longa temporis intercapedine his restituisti. Ergo erunt æterna, inquis, quæ de me scripsisti? Erunt spero, non nostri poematis gratia, quod exiguum ac tenue esse non diffitemur, sed factorum tuorum sublimissima excellentia, & nunquam audita hactenus strenuitate. Tanta enim rerum omnium difficultate, tamque assidua varietate, ac tam mira temporis celeritate id bellum perfecisti, ut si poematis nostri compositura lectori sit fastidium ingestura, materia ipsa, bellorumque varietas maximam suggerat voluptatem. Non enim historia, quam de te fecimus, a veritate discedit; quidquid enim gessisti, suo ordine ac serie composuimus. Namque non habuimus itineris nostri cæcum ductorem, qui nos diligentissime, ac sine invidia de tot bellorum textura candidissimus informavit. Accipe igitur tui clientis, Dux invictissime, non aureum, neque argenteum tributum, sed id, quod, nisi fallimur, auro atque argento perennius erit: ubi te ipsum, factaque tua eximia recognosces, & quo te affectu & observantia prosequamur, ex scriptis ipsis, & præcipue concionibus, quas locis suis tibi accommodavimus, clarissime judicabis. Vale.

CAN-

CANTALICII

EPISCOPI ADRIENSIS ATQUE PINNENSIS

GONSALVIA

LIBER PRIMUS.

Militis Hiſpani canimus bis Marte receptam
Pathenopem, Magnique Ducis res ordine geſtas,
Et quo ſæva modo Regnis expulſa Latinis
Gallorum rabies. Nobis date plectra Sorores
Pierides, hederaſque mihi ſeponite: fas ſit
Nunc ſaltem Aonia præcingere tempora lauro,
Auſoniaſque novas pugnas reſonare per urbes.
Et Tu, Hiſpanorum ſoboles, memorandaque noſtri
Temporis alma ſalus, populorumque unice vindex,
Duxque ducum, mundique decus, bellique poteſtas
Maxima, & aſtriferos tandem meriture penates,
Gondiſalve, fave, tua ſunt hæc munera, cœptis.
Quem te, Magne, vocem? Cui te conferre licebit
Heroum, quos fama canit? Tu Romula quidquid
Progenuit ſtirps clara virum, Tu Græcia quidquid

Protulit, & quidquid Rhodanus, Rhenusque creavit,
Tu Libyes quidquid dederat, Thebanaque tellus,
Hispanique tui quidquid genuere feroces,
Vincis; & humam quæcunque est gloria Martis.
Cæsaris imperio quondam, qui Gallicus axis
Colla dedit, gemino veterana per agmina lustro
Sensit Juleas leges, & frena Quiritum;
Vincere Belligeri quanquam tunc Martis inertes
Promtum erat, & subitos sic debellare furores.
Ille per & patrios civilia bella penates
Evertit, violans divina, humanaque jura.
Tu sed inaudita Gallos virtute subactos
Pellis ab Italia binæ per tempora messis;
Nec minus ipse pius civilia bella coerces,
Atque tuas frustra gens quæque recusat habenas.
Quid tantum Argolicæ rerum fecere phalanges,
Mœnia quæ Phœbi decimum tenuere per annum?
Vix per Dulychiæ fraudis superata rapinam
Attidis, & furto vix debellata Minervæ?
Quid fraternæ acies tantum? quid Regia Laji?
Magna quid aut Macedo stirps tam celebrata Philippi?
Quid tantum Rhodani gentes potuere? quid asper
Rhenus? & instabilis tantum fera dextra Jugurthæ?
Quid Nomadum tellus potuit? quid perfida tantum
Carthago? Tyriique Ducis frons lusca peregit?
Quantum magna tuæ mentis prudentia rerum
Gessit, & invictæ miranda potentia dextræ?
At nulla insidiis, nec fraudibus ulla per hostes
Fit via, sed semper tibi Marte micatur aperto.
Sic te magnanimæ stellæ circumfovet astrum,
Et te felicem sic produxere parentes.

Mille per Ægidem mendacia Thesea Cœlo
Fixit, & inseruit Græcorum fabula Divis;
Scilicet ut Manes imos, prolemque biformem
Edomuit, Thebasque ferox, gentemque bimembrem
Vicit, & ardentem Marathonis æquore Taurum;
Et qui truncato maculaverat hospite lectum,
Quique viatores quoscunque aggressus euntes,
Impia cogebat miseros jejunia ferre;
Et qui diversis repetentibus aera ramis

Di-

Distorsit sævis hominum cruciatibus arctus.
Quid memorem Alcmenæ prolem? cui tradidit uni
Pierii se turba Chori numerosa canendo,
Præposuitque virum cunctis mortalibus unum;
Proque illum fictis meritis, monstrisque peremptis
Astriferi demum Cœli super arce locavit:
Quod monstrum Nemees animi virtute leonem,
Mænaliamque feram, Dictæique ora juvenci,
Et Thracis Diomedis equos extinxit; & idem
Augea purgavit commisso flumine regem,
Stymphaliosque lacus parvi tinnitibus æris;
Euxini vel quod progressus ad ostia Ponti,
Vicit Amazonias acie comitante secures,
Et triplices animas dederat cui Bethica tellus,
Monstriferumque caput; potuit quod strenuus Orci
Invisas penetrare domos, mundoque trifaucem
Ostentare canem; nec non pretiosa necare
Hesperidum vigilem tutantem poma Draconem;
Quodque novercales hydros collisit, & illas
Suffocare animas tetras puerilibus annis;
Quod Pharii cædes sævas punire tyranni,
Sanguine qui humano cœli tentaverat imbres;
Quodque Palæstritam Lybicis suspendit arenis,
Elisitque animam procul a tellure levato;
Et quod defesso validus succurrit Atlanti,
Substinuitque humeris Cœli convexa ruentis.
Hisce suos currus exercet Græcia campis,
Atque suos vates hæc per figmenta fatigat.
Ast ego non referam laudum simulacra tuarum,
Sed tua facta canam, totum quæ nota per orbem
Cernere vera licet: tibi nec venalis adulor
Buccina. Sed cogit quantum tua maxima virtus,
Scribere amo; quanquam non vis ea præbita nobis,
Ut mihi velle datur. Tu non mentita per orbem
Monstra domas, nec mille feras terraque marique
Conflictas superas, nec magni tecta Tonantis
Supposita cervice tenes. Sed verus es unus
Italiæ assertor, quæ te jam vindice solo
Sequanica tandem de gente redempta quiescit.
Rebus ab Ausoniis si primum exordia sumam,

Et qua Parthenopes Regnum virtute receptæ
Eripis e mediis Gallorum faucibus unus,
Det veniam nobis Hispania, poscimus, in qua
Non spectata minus meruit tua dextera laudis.
Gallus Hyperboreas postquam superaverat Alpes,
Italiæque sibi populos converterat omnes,
Et visum est Superis generosam extinguere gentem;
Cedere Parthenope, Regnisque coactus avitis,
Inclitus Alfonsus cari post fata parentis
Cessit, & auxilii quia spes jam nulla dabatur,
Tristis ab imperio Siculas migravit ad urbes;
Exul ubi infelix, animo quum multa moveret
Anxius, & mentem partes versaret in omnes,
Una hæc e multis placuit sententia tandem,
Scilicet auxilio Regem tentare propinquum:
Rebus Aragonidum fessis succurrere solus
Qui poterat, solusque suos in Regna nepotes
Sistere, & amissis depellere sedibus hostem.
Ergo ad se fidum Calabrum in secreta vocavit
Bernaudum, lateris comitem, terraque marique
Semper Aragonidum fortunam utranque sequutum.
Huic ubi, quæ voluit, dederat mandata ferenda,
Protinus ad Regem properantem mittit Iberum.
Paruit imperio fidus mox ille parato
Navigio, celerique fuga super æquora lapsus,
Jussa facit, Dominique sui mandata reponit.
Ad te suppliciter venio, Rex maxime Regum,
Missus ab Alfonso, tua qui generosa propago
Gentis Aragoneæ, Regnis, & sede paterna
Ejectus, rogat auxilium: tu quæso roganti
Affer opem, & missis succurre nepotibus armis;
Aut si tu nulla consanguinitate moveris,
Saltem sublimis moveant te stemmata Regni,
Atque imitare Deum, Regum cui maxima cura
Magnorum, pariter Regum tibi cura minorum.
Namque ideo rerum cessit tibi tanta potestas,
Ut defensa tuis hominum sit vita sub auris.
Sic Bernaudus ait. Regum tum maximus ille,
Surge, refert, dabimus jamjam tibi, surge, quod optas.
Mox simul invictum te, Gondisalve, subire

Bella

Bella jubet, Regnisque unum succurrere victis.
Nec mora; Magnus iter deducta classe paravit;
Messanamque citus velocior attigit Euris;
Quo modo Parthenopes confugerat urbe relicta
Alfonsi soboles Regis cum patre, quod hostis
Omnia jam Regni male prodita claustra tenebat.
Hoc igitur tanto viso ductore, repente
Ferdinande, tibi rediere in pectora vires,
Amissi rediere animi, rediere colores,
Certaque spes Regni sedes reparare paterni.
Extemplo advectas acies Dux Magnus Iberas
Navibus impositas Calabrum deducit ad oras;
Rheginæque urbis muros expugnat, & arces
Marte capit primo invadens; Gallique tenentes
Mœnia, vel fuso persolvunt sanguine pœnas,
Turpia vel tristes abeunt in vincula capti.
Reddere sic nostris primum fortuna favores
Cœpit Aragoneis, statusque referre secundos.
Successu ulterius Magnus Dux ire cohortes
Imperat, & trepidos agitare per oppida Celtas
Brutia, qui populos illos sub jura tenebant.
Fit via Marte fero, capiunt castella, domosque:
Diffugiunt, referuntque pedem, retroque recedunt
Gallorum gens pulsa ducum, loca tuta petentes.
Sed quæ tanta situ sunt mœnia tuta, vel arces,
Ut non cuncta tuo subito sint pervia Marti?
Nostrorum aspirat dum sic Bellona labori,
Dum parvæ, paucæque acies tot millia fundunt,
Invadunt urbem, faciunt cui Semina nomen,
Tunc ubi castra sibi fortissima fixerat hostis.
Confligunt acies pariter, pugnatur acerbe
Undique, barbarico complentur sanguine muri;
Donec Aragoneis demum dare terga coactos,
Proxima quæ fuerat, Gallos Nova Terra recepit.
Gallicus interea furiata mente Baruttus
Victus Aragoneo penitus ne cedere campis
Marte videretur, misso præcone repente,
Promptior Hispanas invitat ad arma cohortes.
Fretus Aragoneus juvenis felicibus auris,
Et duce tam magno te, Gondisalve, superbus,

Hæc

Hæc fuit ardenti tibi pectore verba locutus.
Cernis, ut ad dubiam pugnam, Dux Magne, vocemur;
Sed mea nunc verum si mens præsaga ministrat,
Fert animus turmas certus fugare minantes,
Et Duce te penitus castris spoliare catervas.
Non minus hæc etiam certe victoria nostra est:
Una hæc Parthenopes reddet victoria muros.
Aut si fata volent magis hic me perdere vitam,
Magnanimis deceat Regem periisse sub armis.
Tum Dux Magnus ad hæc: Juvenis fortissime, non est
Pugnandi celerandus amor, mihi crede monenti:
Sat cito pugnatur, bene quum pugnatur in hostem.
Quod variis acies auxit Dux Gallicus armis,
Nos vocat ad pugnam; sed tu pugnare vocatus,
Ferdinande, cave, donec meliora redonet
Tempora Martis opus. Scis me non arma timere
Gallica, scis fessis nunquam diffidere rebus;
Sed conferre manus, mutareque castra volentis
Hostis ad arbitrium, Ducis est dementia summa.
Te Gradive potens, & te Tritonia Pallas
Testor, in hoc bello vitare pericula nulla,
Nulla timere meis damnosa incommoda rebus,
Dum te Parthenopes optata in sede reponam.
Ille iterum magno fundit de pectore vires,
Magnanimasque manus jam nunc miscere sequendo
Cernitur, & telo concurrere cominus hosti.
Sermones sed enim referens Dux Magnus eosdem,
Rursus ab inceptis Regem deterret iniquis.
Sed simul ardentem juvenem non posse teneri
Conspicit, ipse acies ad prælia concitat omnes,
Acceptansque parat Gallorum prælia pugnam.
Post ubi terribilem cecinerant classica Martem,
Undique confligunt fortes, peditesque, equitesque,
Pro se quisque suos hostes invadit adhærens.
Hic pedites, hic sternit equos, perit ille sagittis,
Hic gladio, hic jaculis, perit hic vel robore clavæ,
Hic male sulphureis præbet sua pectora bombis.
Instat Aragoneus juvenis, perque agmina primus
Gallica, barbaricum quod perdere morte tyrannum
Optat; & optatum facilis fortuna dedisset,

Vota-

Votaque successent, nostro nisi forte fuisset
Ter juveni consossus equus: nam sæpe Barutti
Fervidus invicta pugnans latus hauserat hasta.
Explicat inde suos ardens Dux Magnus, & acer
Ingruit, ut Regem valido servaret ab hoste.
Qui numero major, multoque potentior, alas
Struxerat; at nostræ, dum sic fit pugna, retrorsum
Inclinant acies, nec jam sufferre ruentes
Ulterius Brennos possunt, nec flumina magni
Torrentis, cedunt accepta strage repulsæ;
Dux magnus veluti prædixerat ante futurum.
Longius hinc nostris adverso Marte repulsis,
Cedens fortunæ, collecto milite prudens
Dux cito Rheginam Matris revolavit ad urbem.
Cui cunctas rerum quum commisisset habenas
Regius Alfonsi juvenis pulcherrima proles,
Remigio Siculas iterum confugit ad oras,
Tunc ubi vix vitam genitor mœrore trahebat.
Carolus interea validis prius undique Regno
Præsidiis capto positis, conversus ad axem
Cesserat Italia Venetis vix liber ab armis.
Quum jam Parthenope Gallorum exosa furores,
Et desiderio Regum permota suorum,
Sponte sua Siculis illos revocavit ab oris.
Advolat amissam juvenis revocatus in urbem
Noster Aragoneus, Siculis genitore relicto.
Quum venit, exultant pueri, juvenesque, senesque,
Nobilitas cum plebe simul, matrona, nurusque,
Expanduntque alacres portas, & munera templis
Magna ferunt, solvuntque sacras pia vota per aras.
Non secus immensum viderunt Tartara lumen,
Quum Deus æthereas patres eduxit ad auras.
Ac tunc Parthenope tenebris immersa profundis
Splenduit, atque suo lucem cum Rege recepit.
Hæc dum Parthenope pulsabant gaudia cœlum
Maxima, quæ rerum sortes fortuna reversat,
Miscuit ingentes tam læta per atria luctus:
Fata quod Alfonsum rapuerunt invida Regem,
Ad sua qui reditum tunc Regna recepta parabat.
Non tamen hæ tantum causæ valuere doloris,

Per-

Perdidit aut animos juvenis tunc morte paterna,
Quin penitus Regno depellere pergeret hostem.
Qui postquam populos Reges revocare fugatos
Sensit Aragoneos, rumore afflictus acerbo
Concipit ardentes collectis gentibus iras,
Atque Ducem Magnum contra movet agmina rursus,
Qui modo Rheginam confugerat actus in urbem.
Hic ubi jam Belgas in se videt ire ruentes,
Obvius invictas acies educit, & hostem
Strenuus invadit, donec procul ire repulsum
Non sine multorum fugientum strage coegit.
Nec minus insequitur fugientem, atque agmina turbat
Barbara, per Calabros commiscens prælia fines;
Haud prius absistens, quam sæva per arma reducat,
Tunc sua magna nimis, populos ad jura rebelles.
Huic Themesam Ausonii veteris monumenta coloni,
Semina cui nostro mutarunt tempore nomen,
Post Terinam, quam nostra Novam cognomine Terram
Secula dixerunt, modo quod defecerat hosti,
Diripuit, prædæque dedit, saccoque reliquit.
Scyllaceum, Sybarimque capit, capit inde Crotonem,
Mamertique lares veteres, Montemque Leonis.
Gentibus his domitis Calabrum, populisque receptis,
Cætera continua, quæ restant oppida cuncta,
Debellare parat, donec sibi Brutia tellus
Omnis ad obsequium redeat; recipitque novato
Marte Neocastrum, positis ubi constitit armis,
Totaque præsentis transegit tempora brumæ.
Interea auxilii Rex Ferdinandus egenus,
Sæva quod ante oculos hostis tunc bella movebat,
In quo Regnorum fuerat spes unica, Magnum
Constituit revocare Ducem: rerumque suarum
Bernaudum hæc illi mittit mandata ferentem,
Scilicet ut valeat quaqua ratione viarum,
Parthenopen veniat properans, atque agmina jungat,
Aut rerum eventus pugna experiatur in hostem.
Nam pater hunc, Siculis prius ac moreretur in oris,
Jusserat ad nati prudens modo castra reverti.
Qui primum ut venit, Magnum exhortatur aventer
Castra movere Ducem, Regis vel ad ora timentis,

Et

Et pugnando viam medios reperire per hostes,
Aut palmam incertam Martis tentare furentis.
Advocat ergo suos Magnus, prudensque vocatos
Consulit in rebus, quidnam videatur agendum:
Signa ne sit melius sua si convertat in hostem,
Per loca qui insidias nostris diversa parabat,
An se subsidio præstet conjungere Regi,
Solus in ancipiti qui sceptra recepta tenebat.
Una viris fuerat sententia certa, quod hostem
Ad mortem cuncti, peditesque, equitesque sequantur:
Sed Dux Magnus ait, finxit cui corda Minerva:
Accipite o socii, quæ sit sententia nobis,
Ni me fallit amor, nostra est victoria certe,
Hinc iter incœptum si castra movendo sequamur,
Nostraque si nostro conjungimus agmina Regi;
Parthenopes quoniam quisquis dominabitur urbi,
Victor in hoc Regno certum diadema tenebit.
Vicit sana Ducis sententia; protinus ergo
Vere novo redeunte parat jam castra movere,
Atque iter ad Regem: sed non via tuta dabatur,
Gallorum socias reliquas nisi vicerit urbes.
Itur in has: primumque tuos Cosentia vicos
Invadunt, populantque domos sine lege rebelles.
Una dies illic Martis tria prælia vidit.
Una dies triplicem peperit, Dux, illa coronam,
Magne, tibi: triplicem dedit & victoria laudem.
Hinc Cosentinos avido capit agmine muros,
Queis habuisse suam tetricam non profuit arcem.
Hinc populos densos fluvium, qui Cratida potant,
Atque habitant gemino conclusam vertice vallem,
Et cum Pandosia capit inde Triverticis arces.
His populis abiens fidei sub jura receptis,
Constitit ad dictum Villarum nomine Castrum,
Inde suis prudens paucis secum ipse vocatis,
Tentat iter, nunquid penetrare liceret ad hostem,
Dum bonus explorat discrimina magna viarum,
Et redit ad socios, secum quos ire pararat,
Rustica Murani taciti gens conscia facti,
Interclusit iter, cingens latus omne malignis
Insidiis; verum ille dolos quum sensit, in illos,

Trajectu invento per non sperata locorum,
Ingruit invadens, sternitque ignobile vulgus,
Muranumque pius cum deditione sequenti
Mane capit, referatque vias, qua pergat in hostem.
Instabant sed enim rerum discrimina magna
Undique, collectis quod viribus hostis adhærens
Claudebat conjunctus iter, tantumque timoris
Fecerat, ut tandem trepidis desistere nostris
Mens foret incœptis, & vertere castra retrorsum.
Summe Ducum, turpe est hostem fugisse, sed ante
Quam videamus, erit multo deformius, inquit
Pectore qui stabili per tanta pericula rerum,
Tunc Oratorem Regis Bernaudus agebat.
Consilium laudans Magnus Dux, ire cohortes
Imperat, & prudens latus explorare viarum.
Haud procul hinc hosti præbebat castra Lainum,
Brutio a Lucanis ubi dat confinia tellus,
Et Laus in partes geminas disterminat urbem.
Hic manus Ausonidum fortissima castra tenebant
Partibus a Gallis, juvenum fortissima pubes,
Heroumque genus felix, si forte fuissent
Gentis Aragoneæ potius vexilla sequuti.
Destinat has Magnus Dux expugnare cohortes,
Sit licet ampla manus, bellique experta juventus.
Ergo suas acies noctu per devia ducens,
Cœpit iter, sociisque suo de more vocatis,
Impiger his dictis dubitantia pectora firmat.
Monstrat iter nobis, socii, Bellona salutis,
Et parat æternum laudis victoria nomen,
Dummodo non animi desint ad cœpta potentes;
In quo nostra loco rerum sit summa, videtis.
Inclinant hostes passim, simul oppida quæque
Prima suas nobis referant ad classica portas.
Excitat ingenium Ducis exhortatio frustra:
In bello virtus animi cujusque profecto
Tanta patere solet, quantam natura, Deusque
Contulit; hanc hodie, miles, tu pandere mecum
Sis memor, accendat tua te magis optima virtus,
Quam mea verba, potens circum præcordia sanguis
Ferveat, & validæ surgant in pectore vires.

Parvula turba ſumus, fateor, numeroſior hoſtis:
Eſt animus nobis major, præſentia major,
Cauſa etiam melior; ſolet & Mars juſta fovere
Prælia, & exiguis dare gaudia maxima rebus.
Quare agite, o fortes, jam noſtra incœpta ſequamur,
Nunc dum cuncta ſilent, dum nox obſcura favebit,
Dumque putant hoſtes ſomno nos ducere noctem.
Adſum ego vobiſcum per cuncta pericula primus,
Et juvat hanc vitam noſtro pro Rege paciſci.
Una hæc, quam video, ſolum ſi palma ſequatur,
Galle, tuis penitus de rebus credimus actum,
Aut ſi forte mihi lux craſtina finiet horas,
Pro juſto imperio vitam exhalaſſe juvabit.
    Hæc ubi fatus erat, videas geſtire paratos,
Accenſoſque animo ſocios; hinc ordine facto
Corripuere vias alacres, hoſtique propinquant.
Aſpice ſumma Ducis poſſit vigilantia quantum,
Et quantum noceat bellis ignavia ſomni.
Orta dies fuerat, ſed adhuc per cuncta Laini
Mœnia ſecuram carpebant caſtra quietem;
Nec prius imprudens venturum credidit hoſtem,
Viderat oppreſſam quam ſe, captamque juventus.
Sic pecus ignavum paſtor concludit ovili,
Lanigeras pecudes quoties tondere paravit.
Ocyus irrumpunt jam captis agmina portis
Noſtra ſimul; juvenumque manus vix excita lectis
Armorum tandem ſtrepitu, & clangore tubarum
Nuda fugit, ſed quo fugiat miſeranda locorum
Non habet: arripitur ſubito, manibuſque revinctis,
Ante Ducem Magnum deducitur. Aſt ubi vidit
Ille Severinam ſobolem, reliquoſque Tetrarchas,
Voce pius placida ſic eſt affatus inermes:
Quæ, juvenes, preſſit vobis inſania mentem?
Dicite, numquid erat vobis ſpes certa triumphi?
O vere nimium juvenes, expertia ſani
Pectora conſilii; leges hominumque, Deumque
In vos bella gerunt, nobis Aſtrea miniſtrat
Jura ſuis, fovet & vires, palmamque reſervat.
Diſcite vos alias melius pugnare, nec unquam
Nequicquam miſeros ſtimulis illidere calces.

B 2 Non

Non tibi reliquias fuerat cognoscere prædæ,
Ut solet, hoc belli fieri sub tempore tali:
Non bos, non sonipes, ibi nec pecuaria, nec sus,
Armiger aut quisquam, non vir, non fœmina, non vel
Illius acceptæ cladis qui nuntius esset.
Protinus adduci jubet ad prætoria Regis:
Tres & bis septem domini, bene nata propago,
De se captivi populis spectacula præbent.
Tu tamen infelix fueras, qui Regulus horum,
Tristius incœpti pœnas, Americe, dedisti;
Quippe inter pugnas, tantique pericla tumultus,
Dum te improviso defendis ab hoste, peristi.
Hic modo dum cernit confossus vulnere mortem,
Ne non confessus Stygias raperetur ad umbras,
Bernaudum accersit Calabrum, cui crimina fassus,
Et vitam, & mores, solvi se rite poposcit.
Anxius ille magis Regis de rebus agendis,
Funde preces Superis, inquit, qui vincula solvunt;
Et mihi cuncta prius Gallorum arcana retexe,
Quam deplorato resecent tibi stamina Parcæ.
Ille igitur cunctis patefactis ordine rebus,
Cessit, Aragoneis solvens de sanguine pœnas.
His ubi Dux noster castris, atque arce potitus,
Et præda insigni socios, spoliisque refecit.
Qua queat ad Regem tutus penetrare requirit;
Qui modo vix tandem sociis adjutus ab armis,
Strenuus Atellam tunc obsidione premebat,
Quo velut ad tutum confugerat hostis asylum.
Auxilio melius quo nullum, aut tanta favoris
Aura fuit, nec amor toto reverentior orbe;
Miserat ad Regem nam Pastor ab Urbe nepotem
Sextus Alexander, dederat cui Borgia nomen,
Inclyta progenies, Romanaque sancta galerum
Curia purpureum, sed tunc spectabilis armis
Regis Aragonei lateri comes unus adhæsit.
Nam neque tam juvenem fortis dilexit Achilles,
Priamidæ cujus pectus jam perculit hasta,
Nec tanto Pylades fuerat complexus Orestem,
Euryalumque suum nec tanto Nisus amore,
Nec Siculi fratres ita se, nisi fallor, amarunt,

Nec

Nec tanto affectu se dilexere Lacones,
Pignora jam Ledæ, quæ nunc sunt Sidera nautis,
Pirithous tanto nec deflagravit amore
Ejus, qui filo labyrinthi tecta resolvit;
Inclyte Rex, quanto te Borgia juvit amore,
Nocte die tecum vigilans, tua castra sequutus,
Sive opus aut pelagi foret, aut telluris agendum:
Marte quidem magni multum poteratis uterque,
Plus amor inter vos potuit tamen ille, fidesque.
Ergo per anfractus longarum castra viarum
Duxit, & ad Regem Duce te, Bernaude, venitur,
Callebas qui solus iter, qui tota sciebas
Corda tui Regis, & stemmata fidus amabas.
Quo postquam ventum est, subito simul utraque castra
Lætitia, plausuque sonant, Dux noster ad astra
Tollitur, & Regi crescunt in pectore vires.
Qui simul advenit, gentem non passus inertem
In castris torpere suam, sed strenuus omnes
Invasit, fregitque molas, non ante refringi
Tentatas, quoniam bene se defenderat hostis.
Immo etiam in castris, quum seditione coorta,
Miles ad arma ruens in se convertere ferrum
Cœpisset, subito prudens, ne forte noceret
Hostis, & interea nostros invadere posset,
Pectore magnanimo sumptis mox ingruit armis,
Ortaque rixarum certamina sæva diremit,
Inter & Andinos, atque agmina gentis Ibera
Hostilis fieret ne qua de parte tumultus.
At Celtæ minuere animos, minuere furores,
Et subito infracti de conditione loquuntur.
Illa sed hoc major prædixerat Ursa futurum,
Atellæ prudens qui protestatus asylum,
Dixerat: heu nostræ causa est Atella ruinæ.
Proh pietas! proh tanta fides! parere sinistris
Consiliis potius voluit, quam lædere fœdus,
Atque mori potius, fidei quam frangere famam.
Rex placidus, Rex ille pius, Rex ille benignus
Accepta victis mox deditione pepercit:
Scilicet ut Regno gens barbara tota relicto,
Ventis vela darent, quoquo fortuna vocasset.

Con-

Continuo Celtæ scandunt mare navibus omnes,
Et te, Parthenope, nunquam visenda salutant
Amplius, atque vale, repentes sæpius ibant:
Tyrrenum pelagus partim, quos mersit euntes,
Pars vel ad extremos fluctu depellitur Indos,
Pars vel Sarmatici glacialis ad ostia Ponti,
Pars vel Hyperboreas forsan remeavit ad Alpes.
Hæc dum per nostros felici Marte geruntur,
Senserat in Calabris etiam nova bella renasci
Noster Aragoneus, coramque e more vocato
Ad se confestim Magno Duce, talia fatur:
O nostri columen Regni, tutelaque rerum
Fida mihi, solum bona quem natura creavit,
Strenuus ut posses tu debellare furores
Barbaricos, sceptrumque mihi tu reddere solus,
Solus & hanc animam defendere, solus honorem;
Audio per Calabros etiam mihi bella novari,
Imperiique jugum nondum cervice receptum.
Vade age, carpe viam, bellum strue, coge cohortes,
Utque soles, gere signa mihi, gentisque rebellis
Perfida tecta doma: sed quæ redeuntia parent
Sponte tibi, redduntque fidem, servare monemus;
Quæ vero obsistent, rapidis dabis omnia flammis.
Post Dux noster ad hæc: Parce, o Rex inclyte, fidum,
Parce tuum, quæso, sic commendare clientem.
Non ea sors nostræ, nec tanta potentia dextræ;
Verum summa fides, quæ si tua regna, tuosque
Juvit, adhuc ardet pro te pugnare, tuisque
Fortius: accedam quo me, fortissime Regum,
Ire jubes, testorque enses, & prælia Martis,
Nulla timere meæ pro te discrimina vitæ,
Proque tuis nullum rebus vitare laborem.
Ibimus, & Calabros mox auspice Marte rebelles
Ad tua suppliciter cogemus sceptra reverti.
Dixerat, atque alacri victricia voce cohortes
Tollere signa jubet, Calabrumque reversus ad oras,
Jussa facit, recipit populos, plectitque nocentes.
Malvetum, atque Altimontis vi dissipat arces,
Diripit atque focos, & non tractabile vulgus,
Indomitumque animos docuit frenare superbos.

Jam-

Jamque ſub arbitrio populos Dux Magnus habebat,
Reddideratque fidem, placidamque Calabriæ pacem.
At tibi poſt aliud majus fortuna novavit
Bellum, Parthenope, cui nulla potentia mundi,
Non vis, non animus, non ipſi obſiſtere magni
Cælicolæ valeant, non ulla ſcientia rerum,
Non Medicæ compertor opis Tymbræus Apollo;
Non qui te aſſeruit toties Dux Magnus ab hoſte.
Quippe ubi barbaricis fuerat erepta catervis,
Heu, carum amittis infeliciſſima Regem.
Ah ſcelus indignum nimium, facinuſque nefandum!
Non ne ſatis fuerat, modo quod mors effera patrem
Suſtuleras? heu ſæva nimis, nimis improba fata!
Quid miſcere juvat tanta inter gaudia luctus?
Atque inſperatam victoribus addere mortem?
Extemplo audita Federicus morte nepotis,
Advolat, & Regni, populi clamore ſecundo,
Sceptra capit propere, ne quid Fortuna malorum
Innovet, atque illum cuncti pro Rege ſalutant.
Poſt ubi perfecto defuncti funere Regis,
Cajetæque ſimul per bella receperat arcem,
Conſulit in rebus quid ſit Rex factus agendum.
Stat Magnum revocare Ducem ſententia prima:
Rex foret hoc uno veluti ſine corpore mancus.
Affuit ille cito, Calabris accitus ab oris,
Invictas referens præſenti pectore vires;
Inde ſalutato lachrymas ſic Rege refudit.
Etſi non lachrymas, Rex optime, tempora poſcunt,
Hanc tamen immitem quis ſicco lumine ſortem
Tranſeat? aut lachrymis poſſit conferre dolorem?
Juro per æterni cœleſtia lumina cœli,
Perque tuum, Rex, juro caput, Regnumque receptum;
Nuntius infelix ubi primum contigit aures,
Defeciſſe omnes gelido mihi frigore ſenſus.
Sed quid agas? Fortuna alios oblita meatus,
Vexat Aragoneos tantummodo perfida Reges.
Tu ſed in his memoro fac ſis, Rex optime, conſtans:
Diminuit quoniam patientia ſola dolores.
Pergam ego, quidquid erit, ſemper parere paratus
Imperio, Regnum tibi fecimus undique tutum.

Si quid adhuc rerum tamen eſt, quod reſtet agendum,
Utere Marte meo, quantum valet: omnia pro te
Promptus agam, quoniam nihil eſt quod amantius optem.
Ad quem reſpondens placide Rex optimus inquit,
Nota mihi tua vera fides, tua dextera quantum
Poſſit: Aragoneis nota eſt ac ſtrenua virtus;
Proque meo ardenter quam ſumpſeris arma nepote,
Non modo (ni fallor) novit jam Gallia tota,
Magna ſed extremos tetigit jam fama Britannos.
A te nos etiam multo majora meremur.
Et ſi noſtra ſuum mutat Fortuna tenorem,
Digna tuis certe referentur præmia factis.
Reſtat, ut Olveti populos juga ferre negantes,
Debellare pares, qui quamquam cuncta ſub armis
Eſſe vident noſtris, & habent exempla ruinæ,
Eſſe aliquid tamen eſſe volunt, quæruntque timeri.
Hos tu vel primo poteris devincere bello
Solus, & integra meæ reddere Regna quieti.
Hæc ait, & propere Magni Ducis excitat arma.
Ille gradu juſſus celeri conceſſit ad hoſtes.
Quos ubi circumſtant acies, & mœnia cingunt,
Auſi magnanimo primum ſe Marte tueri,
Viribus amiſſis, animiſque ad prælia, tandem
Suppliciter portas reſerant, veniamque petentes
Juſſa Ducis Magni faciunt, pacemque reportant.
Victor ab his populis quum jam Dux noſter abiret,
Paſtor Alexander Romanæ Maximus Arcis,
Rebus Aragoneis qui tunc ex corde favebat,
Hunc precibus ſummis, miſſo Oratore, rogavit
Per clavos, ſanctoſque pedes, mitramque beatam,
Ut quia Parthenope parta jam pace quieſſet,
Se quoque, ſi potis eſt, defendat ab hoſte timentem;
Intercepta dolis qui tunc Tyrrena tenebat
Oſtia, & impoſitis oppreſſas fraudibus Arces;
Quin etiam appulſas auſus retinere biremes,
Urbi importantes Tiberino gurgite merces;
Unde ingens Romæ ſe cauſabatur egeſtas.
Paret Apoſtolicis non ſegniter ille rogatis.
Pergit & ad Tiberis collecto milite fauces,
Victus ut a Latia decederet arce Menaus.

Hos

Hoc proprium Gallus nomen pirata tenebat.
Post ubi jam portum cinxerunt signa Latinum,
Explorat, lustratque locum Dux Magnus, & inde
Quid cupiat pirata, petit, portum ne tenere
Malit? an oblatis victum se dedere pactis?
Ille extrema pati potius, mortemque morari
Velle refert, salvis quam sedem perdere rebus.
Subridens Dux Magnus ait: te fallet inepte
Augurii spes vana tui; sociisque vocatis,
Vel tunc quod fuerat divino flamine plenus,
Ut solet, aut certe venturæ præscius auræ,
Rursus ait: socii, vos hoc audite, quod inquam.
Non valet hic nostris obsistere viribus ullis.
Jam jam finis erit belli, superabimus Arces
Ocyus, in laqueum dabit & vestigia custos.
Pectore vos fortes, animoque estote sereno;
Nec minus hæc aliis tribuet victoria laudis.
Dixit, & hæc dicens, tempus prædixit, & horam,
Et qua parte foret captam evasurus in Arcem.
Ergo ubi certa dies, pugnandique adfuit hora,
Jussus erat subito qua muros scandere miles,
Intrat, & attonitis custodibus occupat Arcem,
Datque manus supplex vinctus post terga Menaus.
O Ducis invicti, Ducis o prudentia summi,
Qui bene dum pugnas, non solum vincere nosti,
Sed prius ac vincas, prius ac tu prælia tractes,
Sit non certa licet, sitque anceps alea belli,
Victorem semper te prospicis esse futurum;
Quodque magis mirum est, ac nullo tempore visum,
Prædicis sociis, qua sis victurus in hora.

Ostia jam fuerat postquam Tiberina recepta,
Ire parat Sanctam victor Dux noster ad Urbem,
Ut pia Pontificis sacris daret oscula plantis,
Duceret & capta quem prenderat Arce Menaum.
Sic alacres quondam merito plausere Quirites,
Quum debellatum viderunt Persea Regem,
Et domitum tandem Romano Marte Jugurtham.
Ordine præibant læto clamore cohortes,
Victoresque equites, invictaque fulmina belli:
Pone sequebatur nostri Tirinthius ævi

Gondisalvus ovans, cujus tunc ora ferebant,
Insignis quanta niteat pietate, vel armis.
Ante Ducem medius facie languente Menaus
Ibat, mœsta gerens demisso lumina vultu,
Squallida cui pectus, promissaque barba tegebat,
Inque gemens animo suspiria longa trahebat.
Inde per aspectus populi plaudentis, & ora,
Ductus Apostolicæ pervenit ad Atria Sedis.
Tunc sua magnanimus Pastor penetralia Sextus
Pandere cuncta jubet, nitidosque aperire penates,
Grata simul cunctis venientibus ora daturus.
Post ubi sacrata se rite in Sede locavit,
Atque humiles alacris porrexit ad oscula plantas,
Ora manusque pias deflexo poplite tendens,
Talia magnanimo Dux Magnus ab ore profatur:
Ecclesiæ qui claustra tenes, Sanctissime Pastor,
Qui reseras, claudisque fores cœlestis Olympi,
Quique vices Christi stabili temone gubernas,
Qui regis & Petri sanctam proreta carinam,
Et facis optatum nos tandem attingere portum;
Ocyus auspiciis, Dii quod voluere, secundis
Fecimus imperium, captamque recepimus arcem.
Ecce sub arbitrio nostro est ac jure Menaus;
Qui bene munitæ confisus turribus Arcis,
Dum tuus hostis erat, juste pugnavit, ut hostis,
Quamvis nemo tibi juste pugnabit, ut hostis,
Cujus sunt Arces, cujus sunt omnia Regna.
At tu, Sancte Pater, primum est ignoscere cujus,
Da veniam, dedit hic animam sub fœdere nostro:
Sit satis, huic animam præter nihil esse relictum.
Dixerat; ac pergit se commendare Menaus.
Victus Alexandro, qui post sic Maximus inquit.
Sit felix faustusque dies, sint omnia læta.
Non unquam latuit nobis tua maxima virtus,
Ac sincera fides tot jam celebrata per annos:
Notum erat, & quantum valeat tua dextera bello.
At nunc in nostris rebus tua gloria multo
Clarius enituit, multoque decentius aucta est.
Nam quod Parthenope, duce te, jam capta, redempta est,
Et quod Aragoneos Reges in sede reponis, No-

Nobilis ista tui fama est, & gloria Martis.
Sed quod pestifero sic nos servaris ab hoste,
Restituisque pius nostris vada tuta carinis,
Major in ætherei multo tibi gloria Cœli
Sedibus intonuit, & non delebile factum.
Nosque tui memores erimus quandoque daturi
Præmia digna tuis, & tantis æqua trophæis.
Interea nos posce aliquid: tibi cuncta dabuntur,
Cuncta tibi fient, sic nam tua facta merentur;
Sedibus his donec sedisse licebit, & artus
Rexerit hos animus, & cœli vescimur auris.
At dic, quæ te mens tam dira, Menæ, coegit,
Durus ut auderes per aperta pericula Sextum
Terrarum tentare Deum? bellumque ciere
Illius ante oculos? qui te, nisi sancta moneret
Pastoris pietas, meritas expendere pœnas
Cogeret, & miseram sub Tartara perdere vitam.
Sed nos pro sceleris culpa, tibi munera vitæ
Reddimus: i tutus, libeat quocunque, relicta
Urbe tamen subito penitus, stultissime, nostra.
Dixerat hæc postquam grandissima verba, receptam
A Duce magnanimo tradi sibi postulat Arcem.
Sed non ille prius concessit vota petenti,
Quam populo impositum dimitteret omne tributum,
Solveret & strictas ad vectigalia naves.
Læta quod ingenti pro munere Roma recepit.

Hæc inter dum Roma suos lætissima plausus
Exercet, Sextusque Duci dat gratus honores,
Ille sui Regis jussu revocatus abivit;
Ut Lernea caput modo quod renovaverat hydra,
Strenuus excussa timidum cervice secaret.
Nam furor infamis Gulielmas ceperat Arces,
Sic ut Aragonei Regis juga ferre negarent.
Instruit ergo suo Magnus Dux more cohortes,
Vulgus & apposita premit obsidione rebelle.
Aspera gens, sed enim paucis obsessa diebus,
Non ignara Ducis poterant quid classica nostri,
Pacta pavens, facta cum deditione poposcit.
Verum avidus prædæ miles, se velle subire
Pacta negans, dum pugnat atrox ad mœnia, retro

 Pul-

Pulsus ab incœpto, tunc desfrustratus abivit;
A Duce sic nostro tamen expugnata quievit.
His etiam tuta populis in pace relictis,
Militibusque suis prius in statione locatis,
Providus ad Regis Federici vertitur ora.
Dic, o Calliope, dic maxima Virgo Sororum,
Accepit rediens quantos Dux noster honores,
Lætaque Parthenope quantos dedit undique plausus,
Viderit aut quales felix lux illa triumphos:
Nunc dexteram dextræ cupidus, nunc oscula jungit,
Explerique nequit mentem Federicus in illo.
Mille per amplexus laudatur, & oscula mille,
Cuncta per ora sonans, merito Dux Magnus habetur,
Marte Duces alios qui norit vincere solus.
Ille autem tanto se non dignatus honore,
Non sibi, sed Superis bonus imputat omnia victor.
Nec minus interea res pertractabat Iberas,
Solicitusque sui commissa negocia Regis.
Ergo recedendi venia post ille petita,
Protinus Ætneas prudens revolavit ad urbes.
Inde ubi, quæ fuerant illic peragenda, peregit,
Ocia non ducens, nec tempora longa moratus,
Parthenopen repetit. Sed mox hinc ille vocatus,
Dux pius ad Regis Federici castra tetendit.
Qui tam difficili tunc obsidione Dianum
Cinxerat, & populos rursus fera bella moventes,
Noster ut incœpto Rex jam diffisus abiret:
Hic ubi fama canit, quondam sub imagine cervi
Dente canum rabido Dominum periisse suorum,
Cujus adhuc servat illic Actæona nomen.
At postquam lateri Regis Dux Magnus adhæsit,
Expugnata suo Domino gens perfida cessit.
Inde simul Regni sedatis undique rebus,
Parthenopen repetunt plausu victoris ovante.
Ipse Duci nostro, tantorum dona laborum,
Optimus innata Rex pro virtute benigna,
Insignes merito populos, atque oppida donat
Plurima: seque ipsum, nec non commune futurum
Regnum ait; Imperium servent modo Fata receptum.
Ille igitur tanto palmæ decoratus honore,

Ces-

Cessit, & ad Regem pelago transmisit Iberum.
Jamque revertentem quum non procul esse referret
Nuntius, extemplo Rex, & Regina faventes
Agmina regalis miserunt obvia pompæ.
Dumque triumphales voces ad sidera tollunt,
Ipse quoque assurgens, tanta est clementia Regis,
Cum conforte sua, procerum stipante caterva,
Obvius occurrit, magnæque per oscula dextræ
Illum amplexantes, læti ad penetralia ducunt.
Post ubi composita se majestate locarunt,
Et Regina suum primo laudavit alumnum,
Rex pius, & placidus solio sic inquit ab alto:
Donec lustrabunt Titania lumina Mundum,
Dumque suum rebus nox auferet atra colorem,
Dum Thetis ampla superfundet vaga flumina terras,
Inque suos eadem capiet remeantia fluctus;
Nostra tuas dicet grandes Hispania laudes,
Grata nec illa tuum nomen finet ire sub umbras.
Nos quoque, dum sceptri vivent hæc stemmata nostri,
Tantum, Magne, tibi debere fatebimur uni,
Quantum Regna sibi nostra omnia posse videntur.
Te Duce, nostrorum regnorum gloria major
Crevit, & Imperii per te decorata potestas.
Parthenopes generi reddis tu mœnia nostro,
Gallorum servata feris e faucibus unus,
Restituisque sua nostros in sede nepotes.
Immo etiam reliquam nobis vehementer amatam
Eripis Italiam, quæ quondam maxima rerum,
Terrarum populis mundi Regina subactis,
Serva jugum infelix Senonum jam facta ferebat;
Fœdera cui nostri semper junxere parentes,
Servaruntque fidem, cui lingua, & moribus iisdem,
Et non dissimiles facie nos astra crearunt.
Nec minus in nostris gessisti fortia Regnis,
Quum Maumetheo viventem more tyrannum
Vicimus, & tandem Granatæ cepimus urbem,
Atque immane genus sanctis continximus undis,
Tunc tua te virtus magnis patefecit in armis,
Et qualis, quantusque fores, quantumque valeres
Miles, in armisonæ vel Palladis arte quis esses.

Restat, ut ampla tui capiant te digna labores
Præmia, & æternas quas fert victoria laudes.
Hæc ubi finierat, urbes concedit, & illum
Non parvi imperii dominum facit: inde superbis,
Eximiisque ornat donis. Simul ore frementes
Dicta probant Proceres, laudantque decentia facta.
Sic ille Hispanos laudantum voce per omnes,
Magnus habebatur quoquo vis dignus honore,
Hispaniæque novum decus, & spes unica gentis.

FINIS PRIMI LIBRI.

CAN-

CANTALICII
EPISCOPI ADRIENSIS ATQUE PINNENSIS
GONSALVIA.
LIBER SECUNDUS.

HActenus exactos Reges, durosqe labores
Gentis Aragoneæ canimus, Magnique receptam
Parthenopen virtute Ducis, Celsasque repulsos
Turpiter, & nostro discedere ab orbe coactos.
Pergite, Pegasides, eadem renovata referre
Prælia, perque iterum nostri Ducis arma receptam
Parthenopen, quantasque acies, quæ castra ducesque
Fuderit, & rursus Senones dare terga subactos
Ad gelidas solus remeare coegerit Alpes.
Et tu quem canimus (prohibet nisi fama, vel obstat
Livor edax) nostris nunquam moriture Camœnis,
Gondisalve favens, iterum da lintea cœptis.
Invida Aragonidum rebus Fortuna secundis;
Sfortiadis belli sceleratam immisit Erinnym,
Sic ut ad accessum patefactis undique claustris,

Ita-

Itala barbaricas acies in Regna vocarent.
Sed tamen Insubris Coluber per sparsa venena,
Ipse sibi exitium morsu, Dominisque paravit.
Nanque ubi Parthenope dejectus Gallus abivit,
In Mediolanum convertitur omnis Erinnys,
Barbaricusque furor, Regnique nefanda cupido.
Vix ingressa vias Celtarum castra feruntur;
Quum sua Sfortiadæ trepidantes Regna relinquunt,
Inque fuga miseram tantum posuere salutem.
Hostis ut audivit desertam barbarus Urbem,
Advolat, & tanto Imperio sine Marte potitur.
Sed dum Brennorum rabies, & sæva libido
Cuncta per immanes mores odiosa profanat,
Nascitur interea post tempora parva tumultus,
Sfortiadæque suam subito revocantur in Urbem.
At postquam ejectus reparaverat agmina Gallus,
Anguigerique suas acies, & castra novarunt,
Obviaque infestis opponere pectora telis
Constituere Duces; collatis undique signis,
Continuere manus non æqua sorte phalanges.
Agmina nam multa, melioraque castra tenentes
Anguigeri, in quovis fortissima pectora bello,
Nondum pugnantes fatis capiuntur iniquis,
Teutonicæ gentis decepti fraude maligna.
Ergo quis dubitet Cœlo regnare Tonantem?
Quis neget aut justas animis Cœlestibus iras?
Ac scelerum cunctos merito punire reatus
Judicio? O Divum non intellecta potestas!
Hoc fuit affines juvenes depellere Regnis,
Hoc fuit insidiis Alphonsum perdere Regem,
Scilicet ut sævis servata ex gentibus alma
Parthenope, Celtis Insubria Regna subessent,
Sfortiadæque atri paterentur carceris umbras,
Jam quibus haud majus terrarum viderat orbis.
Heu quanto melius, quantoque decentius esset,
Servare Insubrem propriis in sedibus Anguem!
Pollentem imperio super omnibus anguibus Anguem,
Quam dare barbaricis sic Itala Regna rapinis,
Et nostro immanes saturasse cruore catervas!
Hæc ubi fama mali Federici perculit aures,

Anguigeros victos, fusosque, & vincula passos,
Et Mediolani captam cumque arcibus urbem,
Horruit, atque eadem metuens sibi rursus ab iisdem
Hostibus, hoc pavidis prospexerat ordine rebus.
Anxius ad Regem Legatum mittit utrunque,
Unde sibi fuerat Regno spes sola, timorque.
Missus abit Galli Calaber Bernaudus ad aures,
Credita qui semper secreta negocia gessit,
Fidus Aragonidum, quo non solertior alter
Regis ad obsequium, rerumve capacior alter.
Qui data tam prudens Domini mandata peregit,
Ut si res omnes, velut ille instruxerat, issent;
Tutus in his Regnis, Rex o Federice, maneres.
Sed tibi quod mentem tunc eripuere sinistra
Numina, seu miserum tua sic te fata ferebant,
Quodque lupum dubius dextra, lævaque tenebas,
Heu Regem infelix hostem tibi reddis utrunque.
Hinc te ad Hyperboreas vertebat filia partes,
Quam tibi apud Gallos dederat Lucina marito;
Hinc consanguinitas Regis revocabat Iberi.
  Interea alpestres populi, gens Bætica bellum
Moverat, & nostro defecerat horrida Rege;
Quæ modo Christicolum vix debellata sub armis,
Ad Maumetheas leges, moresque reversa,
Infidis fidos populos vexabat, & armis.
Has etiam contra gentes a Rege vocatus,
Mittitur instructo Dux noster in agmine primus
Ante duces alios, quotquot jubet ille parari.
Ocyus alpestres turmas, gentemque nefandam
Aggreditur Dux noster iens, turbatque potenti
Pectore Maurusios, & non tractabile vulgus
Dissipat, infringit, sternit, cogitque reverti
Ad pia Catholici subito diademata Regis.
Qui cum Sfortiadas cecidisse in retia vidit,
Insubresque omnes populos, urbesque subactas;
Ac magna Italiæ Celtas jam parte potiri,
Ulterius ne tanta timens sic crescere pestis
Pergeret, & Rhodani torrens ne forte refusus
Vortice Campanas iterum pervaderet urbes;
Jussit, ut Æneas renovata classe rediret

Unica pernicies Senonum Dux Magnus ad oras:
Atque ibi tantisper validissima castra teneret,
Donec sciret atrox quo verteret agmina Gallus.
Dum rerum eventus, venturaque bella moratur
Noster, & in Siculo speculatur littore pugnas,
Et Mediolani dum sic sors omnia mutat:
Cerberea in Venetos rabies truculenta resævit,
Maumethisque manus Christi depasta cruorem,
Igne, fame, ferro, tormentis, sulphure, bombis
Acriter evictam capit obsidione Modonam,
Mœnibus & celsis munitam turribus urbem,
Captaque sunt rapidis partim data corpora flammis,
Mersaque, proh facinus! partim periere sub undis.
Quod scelus haud solum Venetos, illumque Senatum
Terruit, & populos terra, pelagoque paventes,
Ipsa sed hoc fuerat deterrita Roma flagello.
Quas igitur Veneti peterent pro tempore tali
Suppetias? facerent vel quo se vindice tutos?
Itur ad Alcidem nostrum, qui vincere monstra
Solus, & horriferas norat qui vincere gentes.
Qui simul & sacros monitus, & jussa recepit,
In Maumetheum sua transvehit agmina Regnum,
Qua veteris dives Pelopis tenet Insula pontum.
Sed nisi Trinacrio tenuissent littore classem
Adversi Æoliæ flatus, & fuscina Nerei,
Servasset miseram prius obsidione Modonam,
Illius immanes caperent quam mœnia Turcæ.
Sed quum nulla malum jam possent arma levare,
Junxissetque suas Veneta cum classe carinas,
Ipse Cephalonios animoso remige portus
Aggreditur, Venetasque ferox ulciscitur umbras.
Nanque Cephaloniam tractis super ardua montis
Tormentis, scandensque alacris (mirabile factu)
Fortibus oppugnat munitam mœnibus urbem:
Pulverulentus abit subito Vulcanus in iras,
Ictaque terrificum dant propugnacula casum.
Stant tamen immanes invicto pectore gentes,
Tunc octingenti, qui custodita tenebant
Mœnia, Christicolæ sitientes sanguinis undas.
Instant pugnantes nostri vario agmine contra,

Inſtaurantque novas pugnas noctesque dieſque;
Cunctarum rerum quos tanta premebat egeſtas,
Ut daret herba cibum, potum daret unica lympha.
Viderat in ſomnis, dum captat forte quietem,
Nocte per effoſſos cuneos exire catervas,
Turcarumque manus in ſe Dux Magnus euntes:
Vos, ait, o ſocii, jam vos eſtote parati,
Nanque per elapſæ noctis fera bella quietem,
Per cuneoſque foras venientem vidimus hoſtem;
His dictis, cava crypta ſonat venientibus illis,
Ore per inſidias facto; ſed protinus omnes
Sulphure ſemineces tanſi ceſſere retrorſum.
Poſtera ſed poſtquam radiis Aurora refulſit,
Sævius obſeſſos exercet machina muros.
Quos ubi jam fractos diverſa in parte videret,
Atque datos aditus, Magnus Dux ore cohortes
Excitat, & ſcalis intro jubet ire ruentes.
Ac veluti celeres e vallibus alta columbas
Prendere tecta vides, ſegetum quum ſemina paſtæ
Turmatim redeunt, complentque examina turres:
Sic Hiſpana manus, deſertis ordine foſſis,
Juſſa Cephalonios circum capit undique muros;
Victaque Chriſticolum Maumethica turba ſub armis,
Cæſa vel inviſum partim conceſſit ad Orcum,
Vel fuit exiguo pretio divendita partim.
Sicque redempta ſui Marci vexilla recepit
Terra ferax rerum, nec non ditiſſima cocci.
Protinus hinc mira dictum de nomine Junci,
Et nunquam audita portum virtute redemit.
His populis Veneta jam ſub ditione repoſtis,
Pro meritis Magnus Dux noſter honoribus auctus,
Pro reditu venia poſt talia facta petita,
Ad Siculos victor converſa claſſe redivit.
Interea Gallum quum rurſus caſtra movere,
Molirique iterum reditus, ferrumque novare
Parthenopes in Regna ſuæ, totamque moveri
Italiam contra Federici ſtemmata Regis,
Atque illum varia titubantem mente videret
Catholicus Rex; arma ſuis, atque agmina ſupplet,
Augerique acies, & te ſimul eſſe paratum,

Gondisalve, jubet Sicula tellure morantem:
Ancipites donec videat, quo perfida rerum
Sors vehat eventus, & quorsum se ferat hostis.
Sed metus hic quoniam Regem pulsabat utrumque,
Illum ne nostra pateretur ab urbe repulsam,
Hunc ne Campani Regni sibi debita jura,
Gentis Aragoneæ tanto quæsita labore,
Perderet, & penitus Regnis exclusus abiret;
Rumpere paulatim cœpit discordia lites,
Et tacita inter se junxerunt fœdera Reges:
Scilicet in partes juste ut divisa manerent
Regna duas, essetque suo contentus uterque.
Parthenopen Gallus fuerat sortitus amœnam,
Atque Laborinos præpingues ubere Campos,
Aprutiique omnes gentes, populosque feroces.
Appula cum Calabris sortitur noster Iberus.
Ast ubi te contra rursus, Federice, moveri
Bella vides (Regum quoniam te pacta latebant,)
Ad tua Bernaudum fidum secreta vocasti,
A Gallo fuerat modo qui tibi Rege reversus.
Hunc Magno mandata Duci jubet ire ferentem,
Arbitriique omnis cum libertate suprema;
Ut si ferret opem Regno, solitosque favores,
Non arces, non ulla illi castella negaret,
Non ullum imperium, non ipsam denique totam
Parthenopen. Molitur iter Bernaudus, & albam
Navigat attonito portans a Rege papyrum,
Cuncta quidem large, quæ posceret ille, daturus.
Quum venit, exequitur mandata fideliter; & sic
Hoc bis ad arbitrium potuit disponere Regnum.
Quid faceret Dux noster ad hæc? se posse negavit
Castra movere loco, nam Regia jussa morari
Dixerat, & Regis cunctis se in rebus Iberi
Facturum imperium: si jusserit ille, repente
Parthenopen de more suo se velle tueri,
Quantum cura sui permitteret ultima Martis.
Spe sed ut advertit vana non esse morandum
Bernaudus (cernebat enim jam conscia Regum
Consilia), ad Regem sine conditione redivit.
Has ubi Dux Magnus res intellexerat omnes,

Cla-

Clarius atque animi Regum patuere duorum,
Omnia, quæ dederas tibi, Rex Federice, remisit
Oppida, cumque suis populis castella, vel arces.
Sed tu pro innata munus pietate refirmas,
Quem ubicunque minax casum fortuna dedisset.
Ergo ita divisis Regnis, parat agmina Gallus
Parthenopen versus, Romanaque mœnia tutus
Intrat, Alexandri suffultus numine Sexti;
Qui modo Gallorum, mutatis Maximus auris,
Arma fovebat amans, cupiens ut Regibus illis
Neuter haberetur; tamen altera castra fovebat:
Et poterat quævis defendere castra fovendo.
Itur ad exitium Federici Regis iniquum,
Parthenopes iterum dulces maculare penates.
Perque furor populos nullo adversante Latinos
Fertur, & ad Capuæ muros sine Marte venitur;
Huc ubi Aragoneæ gentes sua castra locarant,
Egregiasque acies, & fortia castra cohortes.
Queis animus fuerat, vel bello perdere vitam,
Gallica Vulturni vel deturbare sub undas
Agmina; quod certe victrix Bellona dedisset,
Marte resovisset Gallos nisi Borgia Cæsar,
Et si Fabricium non gens Campana Columnam
Nocte fefellisset per inertia pacta, dolosque,
Hostibus introrsum varia de parte vocatis.
Sed miseras tanto solvit pro crimine pœnas;
Nam velut imbre citus decurrens montibus amnis
Obruit arvorum segetes, vel flantibus Euris
Flamma vorat pingues, visu miserabile, messes:
Impia paulatim sic gens ingressa per Urbem,
Sævit in oppressam nullo discrimine plebem,
Ac populi necat omne genus: sed sexus uterque
Polluitur, perdit vi deflorata pudorem
Virgo suum, paucas vix templi servat asylum,
Atque Severini Calatj insignis honestas.
Et quam credo tuo, Lucretia, sanguine natam,
Virgo pudicitiæ ne perderet una decorem,
Raptorem fugiens, se præcipitavit in undas.
In prædam rapitur civis data cuncta suppellex,
Thesaurique omnes Arcis rapiuntur aperti,

Cun-

Cunctaque surreptis franguntur scrinia gemmis,
Barbaricamque famem sentit Bacchusque Ceresque:
Sanguineas videas Vulturni fluminis undas
Ire per insertos exaucto vortice campos.
At vero e nostris qui se eripuere periclo,
Parthenopes repetunt properantes tecta trementis,
Rex ubi jam fracta Federicus mente manebat,
Incertusque animi vitam cum morte trahebat.
Qui postquam attonitum populum conspexit ad arma
Surgere nolle, parat Regno per pacta relicto
Cedere: deinde abiens turba comitante suorum,
Tristis ad Inarimes portum se classe recepit.
Nostra Columnenses fuerant qui castra sequuti
Fabricius, Prosperque Duces, duo clara Columnæ
Lumina, & ille simul, cujus fulgentia Præsul
Tempora purpureo rutilant decorata galero,
Ocyus Hispani vertuntur ad atria Regis,
Hesperus unde illis per nubila cæca refulsit.
Mox duce Rex Calabrum Nato remanente Tarenti,
Navigat, Inarime ventis dans vela relicta,
Gallorumque miser Regem Federicus adivit;
Illius ut jussu Regnis aliquando remissus,
Sedibus Italiam repetens frueretur avitis.
Ille sed ut venit, parvo spe plenus honore
Acceptus; didicit quæ sit constantia amoris,
Gallorumque fides, & quæ sit cura decori.
Profuit ergo nihil sic se submittere, necnon
Illo pro Regem sic posthabuisse propinquum.
Heu crudos Gallorum animos! heu pectora certe
Non hominum, sed dura magis præcordia ferro!
Non ita clementes olim fecere Quirites,
Ejectum Ægypto quum suscepere tyrannum;
Verum amplexantes illum Populusque Patresque,
Munere donatum magno ad sua Regna remittunt.
Tu qui Regna tenes Regnorum maxima solus,
Quique crucem portas, supremaque nomina Christi,
Noster Aragoneus sua dum tibi Regna reposcit,
Dum te bellorum pacem, veniamque precatur,
Rege vel illi etiam jam suffragante propinquo,
Expectare jubes; nec te, Rex Galle, resolvis,

In-

Infelix donec mœrore assumtus acerbo,
Extremaque miser macie confectus obivit.
Illis heu nobis poteras quem reddere vivum,
Ossa sui saltem, si fas est, redde rogamus.
Interea Dux Magnus adest, Calabrosque per omnes
Vertitur, & Regis partem capturus Iberi
Nemine partitos populos obstante recepit.
Inde Tarentinam gressus intendit ad urbem,
Quam puer ingenuus, Federici maxima proles,
Cuncta sui jussus servans mandata parentis,
Nonnisi difficili capiendam Marte tenebat.
Quo prius ac veniat Magnus Dux, omne Mileti
Reddidit imperium Domino, quoque jura redonans
Cuncta Severino, pariter sua reddidit illi
Qui Bisiniani reddi sibi regna petebat:
Quæ modo perdiderant Federico Rege creato,
Quod male descissent, tunc Gallica castra sequentes.
De vel Aragoneis nulli sua jura negavit,
Hanc quoniam toto peramabat pectore gentem.
Dum sic Dux Magnus premit obsidione Tarentum,
Ecce Rayallantes Classi Præfectus ad oras
Appulerat Calabrum, Gallorum a Rege profectus,
Ut daret auxilium cœptis, Regemque fugaret
Parthenopes; sed quum jam non opus esse videret,
Cessaret a Regno quoniam Federicus adempto,
Jussus erat sociam Venetis adjungere classem,
Maumethisque genus bello infestare profanum.
Quod mare quum invasisset Tritone sinistro,
Turpiter evicti fugientes terga dedere;
Nudatisque fuit vix fas contingere terras.
Hunc quum accepisset noster Dux, largus in omnes,
Venisse ad Calabrum littus, miseratus egentem,
Maxima dona jubet ferri, rebusque juvari
Jactatam pelago classem, sociosque, ducemque
Veste refocillat, sed multo largius auro,
Quadrupedumque pius numero dignanter honorat.
Sic ille ad Gallos relevata classe redivit.
O Ducis invicti constantia maxima, semper
Temporibus servata suis, semperque benigni
Dextera grata viri! ut non sine veste, nec auro,

Dum

Dum vera Maumethis vicisti Regna; redisti,
Nanque Cephalonios superas quum milite muros,
Dives opum plena socios cum classe reduxti.
Venerat at postquam Dux noster ad arva Tarenti,
Invasit puerum placida obsidione relictum;
Quippe per inducias multis ea bella diebus
Distulit, egregius donec puer urbe relicta,
Sponte sua Regem prudenter adivit Iberum.
Ante tamen noster Dux hanc quam prenderet urbem,
Quod minus acceptæ contentus limite partis
Gallus erat, fideique datæ non vincula curat,
Rumpere tentavit, vetitos transcendere fines,
Ut caperet Trojam, Garganique oppida Montis,
Appuliæque caput, Lucanaque subdolus arva:
Quod non hæc inter secti discrimina Regni
Connumerata forent. At noster providus artes
Ut videt Alcides, conceptis fraudibus obstat,
Præveniensque hostem, simul occupat ante Sipontum,
Atque sui Regis constanti pectore Regnum
Protegit, & partes, potioraque jura tuetur.
Nascitur ergo ingens propter discordia fines
Ancipites; sed ne frangantur fœdera bello,
His populis dantur Regum vexilla duorum,
Neuter ut ex illis dubias contingere terras
Interea, donec res sit decisa, valeret.
Convenere Duces; hinc & Dux Magnus; & inde
Gallorum Regis qui jura, vicesque gerebat.
Hi simul Atellæ dum tanta negocia tractant,
Auxit discordes odiosa Megera furores:
Namque Hispana cohors sibi pro statione Tripallam
Dum petit, inveniunt Senonum jam mœnia plena
Omnia, & obsessos prærepta sede penates.
Præmisere prius ingentia jurgia; sed post
Commisere manus, factoque per arma furentes
Extrusere foras Hispani turbine Gallos.
Advolat auxilio, superataque bella suorum
Gallicus instaurat pejori sorte Baruttus;
Quippe ita succubuit pugna devictus Ibera,
Tres equites ut quisque pedes post terga revinctos
Duceret Hispanus, prædaque rediret onustus.

At

At fine impoſito poſt prælia ſæva duello,
Dum præſcripta foret, ſuſpenſa Tripalla remanſit;
Hoſpitium ut Gallis ſic interdicta negaret
Illa, nec Hiſpanis poſthac habitanda pateret.
Convenere Duces iterum de pace loquentes,
Atque ſuas partes non æqua lance tuentes.
Quippe ubi Dux Magnus productis teſtibus amplis,
Et per ſcripturæ veteris monumenta repertæ
Appuliæ latis ſub finibus arva teneri
Illa, quibus fuerat diſcordia nata, probavit;
Atque illi, quorum ſemper ſententia magno
Pectori ſana fuit, noſtro pro Rege loquentes,
Implevere ſuas ibi jura per omnia partes.
At Dux barbaricus, quæ fas, & jura negabant,
Impius amplecti violenta per arma paravit.
Ingenteſque ſimul ſtimulos ad bella dedere
Tunc Calabri Satrapæ, imperium queis undique pulſis
Reddiderat Dux ſponte ſua modo Magnus ademptum;
Atque alii Proceres per Daunia rura rebelles
Suggeſſere ignis cumulato fomite flammas.
Heu heu perfidiam! quam non immenſa tonantis
Dextra Jovis punire queat, non ſæva flagellis
Verbera Teſiphones, Stygius non ipſe trifauci
Cerberus ore latrans, & tetri janitor Orci.
Mox ubi fracta videt, violataque fœdera pacis,
Et non æqualem ſe conſpicit hoſtibus eſſe,
Contemplatus item Dux Magnus pondera rerum,
Conſuluit ſocios, ubinam ſua tuta requirens
Siſtere caſtra queat. Fuerat ſententia multis,
Ut ſe Lucanos intra, ſuaque arma tenerent,
Collectaſque acies; quod ſi ſors ſæva tuliſſet,
Incœpti, Dux Magne, tui ſpes vana fuiſſet.
Sed quia te nunquam latuit prudentia rerum,
Et quia tu ſemper tibi proſpicis ante futura,
Tuta magis Baruli tibi mœnia parva petiſti,
Atque ibi cuncta videns, fortiſſima caſtra locaſti.
Gallus ut hæc ſenſit, collectis millibus, una
Appuliæ adjunctis Satrapis, Calabriſque Tetrarchis,
Protinus Hiſpanos contra movet agmina noſtros,
Invaduntque avido Canuſinos milite muros,

Dum vagus Herculei torrentia terga Leonis
Phœbus adit, sentitque æstus dum caumata tellus.
Hic modo, qui fuerat peditum cum parte relictus,
Præsidio Navarrus erat, cui debilis urbis,
Et commissa loci fuerat custodia parvi.
Sed tamen a muris quum scandere nititur hostis,
Turpiter est novies Hispano Marte repulsus.
At quia parva manus numerosis hostibus impar
Debilia haud poterat defendere mœnia, pactis,
Quæ tractabantur, prudens Navarrus adhæsit:
Scilicet ut salvis sociis, & rebus, & armis,
Et coram tanto servatis agmine signis,
Et quæcunque foret de nostris machina belli.
Mœnibus his igitur Canusinis ille relictis,
Ad sua, quæ stabant Baruli, se castra recepit.
Non fuit hoc vinci, sed vincere fortiter hostes,
Qui quantum Hispani valeant didicere micantes,
Millia Gallorum contra bissena ducenti;
Oppida sunt ausi quoniam non amplius ulla
Oppugnare, manus quæcunque Hispana teneret.
Vincere qui solitus fueras animose fugando,
Nunc hostem fugiens victor, Navarre, fuisti.
Jugiter interea Gallorum exercitus auctus,
Confisus numero, pariterque rebellibus armis,
Castra movet propius nostros, Barulique penates
Oppugnare parat, necnon, si fata tulissent,
Expugnare Ducem nostrum, sævaque peremptum
Morte animus fuerat discerptum membra per agros
Spargere, ut Absyrti sparsit soror impia fratris,
Urere vel sævis sectum per frustula flammis,
Pinguia vervecum testis velut exta cremantur.
Ille sed innumeris quamvis foret hostibus impar,
Exit in adversos animoso pectore major,
Atque propinquantes hostes conturbat, & acri
Marte premit, pugnatque: ferox Hispana juventus
Sternit equos, sternitque viros, vertitque retrorsum
Millia Gallorum, quot duxerat agmina Xerses,
Donec clade prius procul abscessere recepta,
Sic de more suo pugnantes Marte sinistro.
Ad sua Dux Magnus modo post in castra reversus,

Exi-

Exiguæ quamvis intra ſe tecta teneret
Urbis, & anguſto premeretur cardine rerum,
Attamen illæſam ſervavit ab hoſtibus Andron,
Non procul a Baruli diſtantem mœnibus urbem.
Immo nec illam auſi Senones invadere bello,
Sit licet ille ſitus, ac debilis undique murus,
Dedecoris memores quoniam paulo ante recepti,
Quum Canuſinates cinxerunt milite muros,
Perdiderant animos, atque obſidione cavebant.
Sed quamquam noſtros prædura premebat egeſtas,
Non tamen illa Duci depreſſit pectora Magno;
Verum ut palma ſolet melius conſurgere ad auras,
Pondere preſſa gravi, ſic ille animoſior inter
Res ita difficiles, ſurgebat ad omnia fortis.
Non modo caſtra fovens Baruli, ſed gentibus illis
Miſerat annonam pelago, quas Brutia tellus
Fortis adhuc noſtræ fidei ſub jura tenebat;
Cumque Tarentinis etiam muniunt Hydruntem,
Gallipolimque ſimul, ne rumpere fœdus egeſtas
Cogeret, atque malis urgens injuria rerum.
Sollicitant Calabros Dominorum perfida turba,
Stirpis Aragoneæ gentis inviſa propago.
Sed Calaber Bernaudus adeſt, firmatque labantes
Ipſe ſuos Calabros, ſcribens nam ſæpe monebat,
Ut memores ſervare fidem ſuper omnibus eſſent,
Et fore noſtrorum victricia ſigna putarent.
Nam poſtquam Italicis Federicus ceſſerat oris,
Neſcio qua partes Gallorum mente ſequutus,
Fidus Aragoneis quia ſemper rebus adhæſit,
Ipſe ſuo ad Gallos non eſt cum Rege profectus:
Conſilii ſocium ne ſe gens prava putaret,
Quodque expertus erat Gallorum mobile pectus,
Sed ſibi proſpiciens melius, ſativaque remanſit;
Poſt apud Inarimen Reginæ gratus egenti
Obſequium præſtans ſolito de more fidele;
Hinc Calabros repetens, patriis ſe reddidit arvis.
A Duce mox noſtro revocatus, cuncta gerebat
Catholici ſolus ſecreta negocia Regis.
Dum ſic interea belloque fameque laborant,
Venit ab Æteis terris Cardonius Ugo,

Inſita cui Martis virtus, & pectore tota
Bellica Pallas erat, invictaque dextera bello.
Hic ubi jam Calabris Dux ſtrenuus appulit arvis,
Feſſus ad hoſpitium Locrenſia tecta petivit.
Inde quater peditum centum legione feroci
Protinus adverſus Dominum parat ire Mileti,
Tecta Novæ Terræ qui tunc modo capta tenebat,
Necnon parebant cui Principis arma Salerni,
Et cui junctus erat ſocius Galeotus, & ille
Spiritus Inſuber, cui ſpiritus oſſa reliquit.
Quippe ubi cœpit iter verſus Cardonius urbem,
Atque propinquus erat, ductores capta tuentes
Mœnia proſiliunt portis, atque obvia miſcent
Prælia, ſed fatis committunt illa ſiniſtris.
Nam ſimul adveniens victricibus ingruit armis,
Aggreditur ſuos acer Cardonius hoſtes;
Non ſecus ac ſi qui invadunt armenta gregeſque
Prædones, quum quaſſa metu diverſa per agros
Exagitata ruunt, fugiuntque, caduntque, necanturque:
Ex illis pariter, pariter vel multa lateſcunt.
E medio pavidus ſe Marte Mileſius aufert
Cum ſociis: hortans inſtat Cardonia proles,
Militibuſque ſuis, ſi qua eſt dubitatio, tollit.
Pleraque pars cecidit fugientum, captaque multa eſt,
Delituere alii, ſed non miſer ille latere
Spiritus Inſuber potuit, quum membra reliquit
Spiritus, & (dominum quod jure coegit in iram)
Ipſe ſua amiſit Princeps vexilla Salerni.
Hoſtibus expulſis, Cardonius urbe potitur.
Sed bene non tutus mox providus inde receſſit,
Et Caſtri Veteris loca tunc meliora petivit.
Ecce autem rurſus, hoc diſcedente, Mileti,
Ex qua pulſus erat, Dominus revolavit in urbem,
Magnarum ignarus rerum, bellique futuri.
Poſt etiam, Hiſpanis fuerat qui miſſus ab oris,
Appulit Emanuel, ducens fortiſſima ſecum
Pectora militiæ, peditumque, equitumque catervas.
Hic apud adveniens Rheginam conſtitit urbem,
Ac primo Dominum contra movet arma Mileti,
In ſua qui fuerat trepidus modo regna reverſus,

Obſeſ-

Obſeſſuſque ſua nimium miſer urbe latebat;
Donec Principibus mox ſuccurrentibus illi
Cum Duce Grignino, liber fuit; inde receptam
Ad Conſentinam cuſtos tranſmittitur urbem,
Quam tamen excepta Senones tunc arce tenebant.
Huic Solis fera bella Gomes, qui celſa tenebat
Mœnia Manthiæ, movet, & non ſegnior illo
Agmina Celtarum turbat, caſtriſque paventes
Exuit, interimit, ſternit, funditque, feritque,
Obtinet & populos, ſimul oppida multa receptat;
Et Conſentinæ pariter poſt ſubvenit arci,
Quam Galli obſeſſam capta prius urbe tenebant,
Atque equitum, peditumque manu bis mille potenti
Munierant; ſed caſtra Gomes metatus ad arcem,
Munitam ingreditur per tempora noctis in urbem
Exulibus junctis, qui quod vexilla ſequuti
Gentis Aragoneæ, fuerant ex urbe fugati.
Hic quoque pars belli tanti, Franciſce, fuiſti,
Jam bene quum pugnas Martis, Bernaude, per artes.
Hos poſt ſucceſſus alibi victoria noſtros
Extulit, atque alias cumulavit gloria laudes.
Clauſus erat ductor Pignerius urbe Crotonis,
Candida Baptiſtæ fulgent cui pectore ſigna,
Et circumventus Roſiani Principis armis;
Qui fruſtra obſeſſa dum ſe putat urbe potiri,
Fallitur, & fatis commiſcuit arma ſiniſtris.
Auxilio adjutus peditum bis mille ducentis,
Bellica quæ Siculis fuerat tranſmiſſa juventus,
Quos Aquilera potens armis, & pectore magno.
Duxerat adveniens, cujus prudentia tantum
Tunc valuit, quantum diſcrimina tanta petebant,
Qui ſubito exiliens portis parat arma recluſis,
Et procul obſeſſis a mœnibus effugat hoſtem,
Inſequiturque fugam fugientis, & undique fundit;
Belcaſtrumque capit, captum quoque tradidit igni,
Sævior & miſera madefecit cæde penates.
Principis accenſum poſtquam jecur arſit in iram,
Excivere Duces ſe ſe ad certamen uterque.
Sed quum conveniunt Tacinæ prope fluminis undam,
Et collata ſimul lituo ſunt ſigna ſonante,

De

De te das hosti rursus, Rosiane, triumphum,
Amissis nam victus equis, pedibusque, vel armis,
Solus amata tua Rosiani ad tecta redisti.
Sic conversa Duces Bellona refecit Iberos.
Quo pavefacta novo jam tota Calabria bello
Poscit opem, rebusque suis diffisa tremiscit.
Ocyus auxilio sociis succurrere victis
Constituere Duces, qui Daunia rura tenebant,
Atque Ducem Magnum contra sua castra locarunt.
Ergo duas faciunt gentis tot millia partes;
Nam Senonum Regis qui jura, vicesque tenebat,
Mansit in Apulia, regioneque fortis eadem,
Sic sua castra Duci fixus tenet obvia nostro.
Fortior, & gentis magna cum parte Baruttus
In Calabris laturus opem, populosque per illos
Nuntia fama venit, bis sex centena parari
Millia Gallorum, Calabros ventura per agros,.
Et finem tantis bellis positura supremum.
At vero Hispani, quæ nuntia fama ferebat,
Ut sensere Duces, quo tunc Novaterra timentes,
Urbsque simul junctim de Semine dicta tenebant,
Ad loca tuta magis, non tuta sede relicta,
Cautius ire parant, unde omnis turba videri
Celtarum ventura queat; nanque agmina pugnæ
Si non æqua forent, fuerat mens Marte cavere:
Ast acies si forte pares, concurrere telis,
Et glomerare manus steterat sententia firma.
Gallicus at subito versuta mente Baruttus,
Ne quota turba foret, neu quantus in ordine miles,
Scire queant, noctu per non consueta viarum
Improvisus adest; & quum Titonia conjux
Fulserat, aggreditur, qui tunc sua sponte movebant
Castra, Duces nostros: oritur clangore tubarum
Clamor utrinque ingens, premit undique Gallus Iberos,
Hispanasque acies, cædesque paratur ab omni
Parte: sed Hispani plures mittuntur ad Orcum,
Quod fuerat non æqua manus; tamen obstat Iberus,
Sit licet inferior, fugiensque repugnat in hostem.
Hinc micat Emmanuel, micat hinc Antonius, inde
Pectora Sequanicis monstrat Cardonius Ugo.

Qui

Qui postquam Hispanas videt inclinare cohortes,
Posset ab hoste ferox ut se servare, suosque,
Quo vehitur, descendit equo, cui crure reciso,
Ne spolio Hispano Gallus poteretur opimo,
Tela, vadumque capit, foret hac ne transitus hosti,
Sectatus miras Romani Coclitis artes;
Atque ibi tantisper pugnaciter arduus obstat,
In loca tuta suos donec videt esse receptos.
Ipse quoque evadens per dura cacumina montis,
Perque nives gelidas, perque hæc discrimina sospes
Cum ducibus sociis Bublinam venit ad arcem.
Inde magis tutos deducunt agmina Locros,
Ne quia pugnarant adverso Marte, rebelles
Locrenses fierent; quamquam hæc victoria Gallis
Sanguinolenta fuit, belli jacturaque major.
Quippe inter pugnas, atque aspera prælia Gallus
Armipotens dextra cecidit Grigninus Ibera,
Atque alii Senonum Proceres, plebeaque turba,
Quorum jam Stygiis sunt nomina scripta sub antris.
His ita dispulsis, converso milite Gallus
In Consentinum subito divertitur agrum
Efferus; ac primo populatur tecta Paterni,
Gentis Aragoneæ nimium tristata ruina.
Sponte sed actutum reserat Cosentia portas,
Non oblita sui toties ingrata furoris;
Nam Solis cui bella Gomes Bellona ministrat,
Suspectam nimium jampridem liquerat urbem,
Manthiam repetens, ubi tutius arma tenebat.
Inde Neocastrum capitur, capiturque Miletum,
Inclusi fuerant ubi viliter ante Tetrarchæ.
Constitit inde abiens Bublinæ ad mœnia Mottæ;
Atque Duces nostri Locris sua castra locarunt,
Dum bis terque suum compleat Cynthia cornu.
Maxima Pieridum Calabris pia virgo relictis,
Ad Magnum jam plectra Ducem, calcemque referre
Sis memor, & quidquid gerat ille per Appula rura,
Dic o Calliope. Calabris quum lapsa parumper
Bella resedissent, Baruli spectacula Martis
Cernere nata fuit, quæ nusquam Hispania, nusquam
Gallia, ne gelidis vidit Germania terris.

Hispa-

Hiſpania, Gallique ſimul ſe lædere acerbe,
Utraque gens odiis jampridem exercita magnis,
Jurgia jactantes inter ſe ſæpe ſolebant.
Non procul a Barulo quum Gallica caſtra manerent,
Gallus equo ignavos miles jactabat Iberos,
Et tantum faciles Martem tractare pedeſtrem:
Hiſpanus Gallos neſcire probabat utrumque.
Sic male jam toties dictis utrinque remiſſis,
Alter ad alterius ſe prælia ſæva vocarunt.
Poſtquam autem pugnæ ſunt tempora dicta, locuſque,
Ac pugnatorum numerus par factus utrinque,
Ære micans undena cohors, Hiſpana juventus
Scandit equos, atque arma gerens, & tela feroces,
Quæcunque accepta ſub conditione tuliſſent.
Quos, quia Dux Magnus pugnæ conſenſerat illi,
Sic affatus ait, prius ac certamen inirent:
Gallia gentili nunquam ſatiata furore,
Non ſemel experta eſt, quantum omni Hiſpania bello
Præſtet, & ingenio valeat fortiſſima quantum.
Id quoque vos hodie memores oſtendite cuncti,
Dextera conſerto quum jam mucrone ſonabit.
Spero equidem, Cœli faveant ſi Numina juſtis,
Magna hodie noſtris accedet gloria caſtris.
Ite igitur fortes, bello ſpectata virorum
Pectora, Gradivi numeris, & Pallade dextra.
Sic abeunt alacres tecti fulgentibus armis,
Spectantum votis, ac ſupplice voce precantum,
Ognates, ac Toſta ferox, Segura, Morenus,
Didacus, atque acer Garſia, Georgius, atque
Pignamus, & fortis Gonſalvus Arevalus, atque
Didacus antiquo dictus cognomine Vera,
Gonſalvuſque alter, nec non promptiſſimus ibat
Nomen honoratum tribuit cui Palladis arbor.
In campum Hiſpani mox deſcendere priores,
Huc ubi certamen fuerat tam inſigne futurum.
Ecce autem totidem Senonum de parte parati,
Accinctique ſuis telis, ac fortibus armis
Adveniunt: delecta cohors, & torva juventus.
Lelepa, Nebrofonos, Theron, Hileus, Hilactor,
Pamphagus, Ichnobates, Pterelas, Napus, atque Lyciſca,

Et

Et pleno irarum cum pectore ſævus Aellus.
Ergo ubi commiſſæ ſenſerunt claſſica pugnæ,
Hiſpanum, ac Senonum duplici ſpectante corona,
Congrediuntur equis, ſed non & viribus æquis
Conſeruere manus; ſubito nam fortis Iberus
Nebroſonon Gonſalvus adit, Pterelamque Morenus,
Didacus Ichnobaten, Brennum Garſia Lyciſcam,
Pignamus Hileum, Gonſalvus Hilactoris alter
Confodit enſe latus; ſed Toſta animoſus, & acer
Roboribus clavæ duris collidis Aellum:
Ictus Seguræ ſuccumbit Lelepa dextra,
Ognates Therona manu diverberat acri,
Pamphagon aggreditur faciunt cui nomen Olivæ,
Atque Napus valido quatitur mucrone Georgi.
Jamque novem Senonum victis, quibus omnibus ictus
Stratus erat ſonipes: ſuſtentant prælia tantum
Vix duo, quadrupedum qui ſe poſt terga jacentum
Strata tuebantur. Sed nox obſcura diremit,
Quæ jam durarant certamina quinque per horas,
Invidaque integrum noſtris truncavit honorem.
Sed bellatorem tunc Gallia novit Iberum,
Vincere non tantum certamine ſcire pedeſtri,
Verum etiam pugna quod vincere ſciret equeſtri.
Ad Ducis inde ſui redeunt tentoria Magni,
Lætitia, ac plauſu reſonantibus undique caſtris.
Mox Senones, qui caſtra Rubis vicina tenebant
Mœnia, dedecoris accepti nuper ob iram,
Non procul a Baruli furioſo milite portis
Excurrunt, capiuntque vias, & compita cingunt,
Si qua hoſtem extractum valeant offendere muris,
Amiſſumque nova pugna reparare decorem.
Exilit emiſſus ductor Mendozius urbe
Didacus arma gerens, & non penetrabile pectus;
Quale ducis Phrygii fuerat, poſtquam arma recepit
Tardipedis fabricata manu. Micat ille per hoſtes
Conſpiciendus equo pugnantis pectore digno,
Et qualis deceat genus alto e ſanguine natum:
Humani generis facie cui credimus ullum
Non fecit natura parem, neque viribus ullum.
Magnanimos hic ergo ſuos hortatus Iberos,

Confodit, interimit, flernit, necat, obruit omnes,
Tartareas uno vix evadente ſub umbras.
Heu Senonum ignaras mentes! quibus Aſtra patentes
Cuncta minabantur, necnon elementa ruinas,
Mars quoque non dubiis ſignis, adverſaque Pallas
Succeſſus minuere ſuos pugnantibus illis.
Diis tamen adverſis Superis bellantur, & imis;
Inque ſuos arctus ſectos velut Hydra reſurgunt.
Nam poſtquam populo fuerat plaudente reverſus
Didacus ad Barulum ſpoliis oneratus opimis,
Acta recenſebat dum maxima prælia victor,
Inter laudatos tollebat ad aſtra Latinos.
Qui captivus erat Princeps quum talia Motta
Audiret, ſtomachoque tumens, ac gutture ſævo,
Parcere non potuit, quin talia diceret, iræ.
Facta quid immenſis ſic Itala laudibus effers?
Vicerit Hiſpanus, fateor, ſed vincere Gallum
Italicus pugnando nequit; gens Itala nanque,
Si mihi res ſecum Martis tractanda fuiſſet,
Hic me captivum non ſic, Hiſpane, teneret.
Hæc quum jactaret ſic Gallus ab ore ſuperbus,
Inter captivos victus licet eſſet, & hoſtis,
Increpuit Gallum placido tam vana loquentem
Indicus ore Lopes, ex fortibus unus Iberis.
Diſce, rogo, meliora loqui, gutturque ſuperbum
Comprime, nam dabimus jam nunc ad bella paratos
Italica de gente viros, deque ordine noſtro,
Qui tibi cum Gallis certamina nulla recuſent,
Quique probent nobis nimium te vana loquutum.
Ille ait: accerſam noſtra de gente parata
Corpora, certantes eritis quotcunque daturi.
Dicta probant omnes noſtri, Gallique citantur.
Eſſe ſtatim Senones ſe reſpondere paratos
Ad quæcunque velint Martis certamina noſtri.
Belliger armorum pater, o Gradive, potentum,
Tuque ferox Bellona ſoror, dictate canenti
Prælia ſub cœlo nunquam commiſſa Latino.
Dicite quanto animo, quantaque libidine belli
Conflixere pares numero, quove ordine pugnas
Exhibuere graves, & qua virtute repente
Auſo-

Ausonidæ Celtas debellavere furentes.
Ergo inter partes ubi jam convenerat ambas
Exercere simul dubii certamen honoris,
Instruit, atque armis se quisque micantibus armat,
Expectatque diem simul, & data tempora pugnæ.
Ad se delectos magno Dux noster honore
Advocat Italicos equites, & talia fatur:
Grande decus patriæ, juvenes, quocunque sub illa
Sidere vos genuit, necnon quocunque creati
Sanguine: felices qui vos genuere parentes;
Ecce iterum ad magnæ pugnæ revocamur honores,
Nosque ultro Bellona vocat, Mars porrigit enses,
Sponte favens nostris accinctus ad omnia votis.
Vos igitur clari si nominis ulla cupido est,
Fortia magnanimo præcingite pectora ferro,
Atque animos conferte simul, viresque potentes
Promite vos hodie, mecum quibus omnibus usi
Temporibus belli per sæva pericla fuistis;
Et vestræ Italiæ memores estote decoræ,
Vincere cui semper, necnon cui fata dedere
Fortia quæque pati, quoties tractare pedestris
Seu Pollucis erit, seu Castoris arma necesse.
Et quia sponte neci caput objectare nefandum est,
Quod belli eventus dubios sors improba versat,
Martis ad hoc clarum jubeo vos ire duellum,
Utque decet, vestræ defendere gentis honorem.
Sic ait. Italici, semper memoranda juventus,
Cuncti alacres animo, pariter clamore frementes,
Verba Ducis Magni laudant, ac jussa capessunt.
Nobilis e numero post fit delectus equorum,
Bistoniis quales scandit Gradivus in arvis,
Sæpe recognoscens urbes, populosque superbos.
Jamque accincta cohors, tres & bis quinque frequentes,
Ibat in extructo Martis spectando theatro,
Ex humeris pendente sago, quod splendida circum
Signa colorabant vario distincta colore,
Qualia Catholici Regis sanctissima consors
Jusserat extolli, quoties sua castra moverent.
Ibat in his Hector Campanæ gloria gentis,
Cui Fera magnanimo tribuit cognomina Musca,

Qualis erat quondam Priami fortiſſima proles;
Et quem Parthenopes genuerunt mœnia, Marcus,
Cognomen nitidæ cui jam fecere Corollæ:
Inde ibant pariter magnæ tria lumina Romæ,
Cum Bracalone ferox, & pugnaciſſimus Hector,
Et non inferior utroque Capocius armis:
Necnon audentes hinc Albamontius, inde
Franciſcus Salomon, Siculæ telluris alumni;
Hinc & Abenabolus ibat Campanus, & inde
Ibat magna ſui Marianus gloria Sarni,
Invictoſque gerens animos Pamphulla ſuperbus,
Atque ardens Meales: hinc Romanellus, & acri
Conſpiciendus equo Parmenſis Riccius ibat;
Indomitum cuncti Martem ſimul ore canentes.
Dum ſic unanimes, populique ante ora feruntur,
Vota viri, matreſque piæ, teneræque puellæ,
Atque preces faciunt, junctis ad ſidera palmis.
Qui regis o ſuperi cæleſtia numina Cœli,
Imperiumque tenes ſolus, terræque, mariſque,
Si pia te poſſunt convertere vota precantum,
Sique laborantem miſere ferroque fameque
Reſpicis Italiam, quæ tot lacerata per annos,
Omnibus amiſſis tenues vix ſuſtinet artus:
Hos pius a tantis juvenes defende periclis,
Daque illis validas vires, animoſque potentes,
Ut cum barbaricis opponent obvia telis
Pectora, & adverſos contundent ictibus ictus,
Hoſtibus evictis, ſpoliis potiantur opimis.
Et vos, o juvenes pariter feliciter omnes,
Ite reverſuri dextro pede, & alite dextra.
Omnia non noceant, magici nec carminis artes,
Impediant ullæ nec prælia veſtra volucres;
Sed ſua vobiſcum quum conferet arma, manuſque,
Deficiant hoſti vires, ac pectora cunctis
Exanimata cadant; & quiſquis perditus optat
Vincere tam crudos populos, gentemque nefandam,
Flumine Tartareis jaceat dejectus in umbris.
His igitur votis ibant, precibuſque fruentes
Italici juvenes ad talia prælia læti.
Hinc Senonum juvenes totidem, de more parentum

Pe-

Pectora vincendi nimium spe plena gerentes,
Conveniunt, comptique suis insignibus adsunt.
Harpalos, Agliodos, Labros, Dromos, atque Melampus,
Sæpius Italicos qui detrectare solebat,
Pemenus, atque Lacon, necnon cum Tygride Leucon,
Dorceus, ac Ladon, Calabris assuetus in oris
Temporibus pacis raptas abducere prædas:
Inde ferox Alcon, & fortis Orybasus ibant,
Reddere qui semper bellum pro pace solebant,
Et fregisse fidem, qui reddere jura putabant.
Ergo ubi belligeri venere ad septa theatri,
Constiterantque simul jam decertare parati,
Utraque pacta cohors, ne quis dum sævit in hostem,
Sterneret acer equum, simul & convenit utrinque,
Victori centum victus numeraret ut aureos.
Post ubi pugnandi dederat cava buccina signum,
Ocyus intentis concurritur undique telis.
Impetus implicitos patrio trahit ordine Gallos,
Seque per insidias fallaci pectore nostros
Vincere posse putant; melius sed vincere docta
Nostra cohors, veluti celeres quum septa leones
Plena boum invadunt, prædam capit ore cruento
Quisque suam, tauri cervice potitus adepta.
Confertim pariter nostri glomerantur in hostes,
Injiciuntque manus cunctis, capiuntque, ligantque
Quisque suum, ancipitis servato munere vitæ.
Excitat insignem facilis victoria plausum,
Immo etiam magnos medio de corde cachinnos.
Quippe sibi victor dum præmia pacta poposcit,
Ingenue Gallus se solvere posse negavit;
Nam velut ad certam veniens gens barbara palmam,
Illa minus secum pactum portaverat aurum.
Ergo ad castra Ducis trahitur per vincula Magni
Gallorum captiva manus clamore secundo.
Hinc exaudiri plebis ludibria magna,
Et manuum turpes crepitus, & turpia verba,
Atque pedum strepitus, necnon opprobria sannæ.
At vero extollit certatim gloria nostros,
Atque in se populi convertunt lumina euntes.
O decus, o rerum nunquam spectacula visa!

Ro-

Romule, quis laudet mihi te, qui vincis Acronem?
Teque Fidenatem ſuperas qui, Coſſe, Laerten?
Vel te, qui Gallum vincis, Corvine, ſuperbum?
Romaque tergeminos celebras quid Martia fratres?
Te quoque quid memorent ſic, Æmiliane, quod hoſtem,
Qui tibi certabat, dedit Intercatia victum?
Et tuos ſcriptores ſileant, Dentate, labores,
Bis quater hoc fueras qui jam certamine victor.
Cur ita Bucephalus, magna cur bellua Pori?
Cur qui jam Rutulo caput tenus abdidit enſem?
Curve Palæſtrites Lybicis eliſus arenis?
Cur qui delituit propriis Achelous in undis,
Victus ab Alcide, magicas converſus ad artes,
Implerint veterum tam miro nomine chartas?
Hæc nihil ad juvenum quoniam certamina noſtrum.
Qui Ducis ad Magni poſtquam ſunt ora reverſi,
Inter honorantes, plaudentiaque ora virorum,
Captivoſque hilari facie dum Magnus honorat,
Accipit atque lares inter jucundus apertos;
Quid juvat o toties iras tentare Deorum
Turpiter, ac ſemper ſic infeliciter? inquit,
Parcite jam miſeri ſtultos ſimulare lacertos,
Scandere quum nequeunt tectoria plana ruentes.
Aſtra, fretum, tellus, æther, nox, ventus, & imber,
Albaque lux, tempus, maneſque, & Tartara Ditis
Bella movent vobis, majoraque prælia noſtris.
Vos tamen Hiſpanis, quorum victoria certa eſt,
Succubuiſſe pudet; verum ut viciſſe decorum eſt,
Sic eſt, quum pugnes, infamia maxima, vinci.
Sic ait: inde jubet Celtarum corpora feſſa,
Atque fatigatos animos potuque, ciboque
Egregio refici. Prius at non Celtica præda
Cedere tunc potuit, quam pactum ſolveret aurum.
Inde redempta ſuis pedibus biſſena remiſſa eſt:
E numero quoniam fuerat qui promptior unus
Fuderat in primo miſeram certamine vitam,
Deque actis Gallis Plutoni nuntius ibat.
At quanto plauſu rediens in caſtra recepta eſt,
Gallice dic Mavors, vel tu dic Gallica Pallas.
Hæc inter teritur dum per certamina tempus,

Venit

Venit Hydrunteis properanter miſſus ab oris
Nuntius ad noſtros, illic quoque Marte favente
Cuncta geri, & ventis procedere vela ſecundis.
Caſtellanetum mutaſſe viriliter auras,
Præſidioque omni Gallorum turbine capto,
Erexiſſe Aquilas, vexillaque Regis Iberi;
Et, modo qui Magni fuerat Ducis ordine miſſus,
Leſcanum Hiſpanæ ductorem claſſis ovantem
Confregiſſe ſuo Gallorum remige naves,
Utque miſer Jannes vix Presbyter iſſet Hydruntem,
Quæ quia neutra fuit, miſeris urbs fecit aſylum.
His ita compertis rebus, parat agmina Prorex,
Caſtellaneti ſcelus exulturus, & arvis
Protinus Appuliæ movet excita caſtra relictis.
Ipſe quoque interea ne duceret ocia noſter,
Sæva Ducem contra molitur bella Palizam,
Haud procul a noſtris qui tunc fortiſſima habebat
Caſtra Rubis, equitumque manus, peditumque potentes,
Deque ſagittifera numero bis gente ducentos.
Ergo ubi diſpoſitas acies videt eſſe ſuorum,
Phœbus in occiduis quum jam caput abderet undis,
Dux prudens ſimulavit iter, quo callidus hoſtes
Redderet ancipites, nec quo trahat agmina ſcirent,
Vel tormenta ferat; ſed tandem nocte peracta,
Prima luce Rubos, tunc non ea bella timentes,
Acriter invadit: pugnatur, at illa per omnem
Pugna diem trahitur, donec jam Sole cadente
Urbe manu forti noſtri potiuntur adepta.
Diripitur, prædæque datur gens Gallica tota,
Cumque ſua victus capitur Dux gente Paliza,
Tota per Apruii populos qui Regna tenebat,
Quique Ducis ſecum geſtabat ſigna Sabojæ.
Sed quæ tanta locum potuiſſent arma tueri,
Quum ſecum Italicos Magnus Dux noſter haberet
Tot fortes, claroſque Duces? duo clara Columnæ
Lumina pugnarant illic, quos dicere fas eſt
Pectora Scipiadum: ſimul & clariſſimus armis
Thermulus Andreas, cujus pugnando timorem
Neſcit dextra Ducis, fuerat nam tempore in illo
Rege ſub Alfonſo teneris nutritus ab annis.

Hic

Hic etiam, nequeat quem vincere Pelias hasta,
Restainus Cantelmus erat, qui fecerat ante
Celtarum cædes multas, stragesque frequentes.
Quin etiam insignis ductor Mendozius ille
Didacus, armorum possis quem dicere lumen,
Uno omnes dempto qui sternere noverat hostes.
Hos inter primus Sances Franciscus adhæsit,
Strenuus, atque acer, muris insignia primus
Intulit, & sociis aditus reseravit apertos.
Tu quoque Parthenopes pugnans, Morimine, fuisti
Gloria magna tuæ, qui desuper hoste furente
Mœnia magnanima prensas sublimia dextra,
Et conjecta super tot vertice tela repellis;
Judicioque tuo melius mutata repente,
Hostibus oppressos diffregit machina muros.
Hic Loffreda suam quassans non segniter hastam
Margariton, meruit per fortia prælia laudem,
Inter Parthenopes juvenes non infima fama.
Exportata Rubis igitur quam maxima præda
Ducitur ad Barulum: tergis it magna revinctis
Mortalis captiva manus: hinc tollitur ingens
Armorum spolium, numerus quoque magnus equorum,
Et pecoris quicquid fuerat, Bacchusque, Ceresque,
Et quæcumque fuit victis ablata suppellex.
Hoc est esse viros, hoc est & vincere scire,
Obsessi ducant si de obsidione triumphos.
    Certa Ducis Magni fuerat sententia, jam tunc
Ulterius proferre gradus, hostesque profectos,
Proregemque sequi, qui signa minantia contra
Castellaneti tunc mœnia versa ferebat.
Sed tenuit permagna Ducem fœcundaque præda,
Ne qua inter nascens discordia tot caligatos,
Verteret in rixas victricia castra suorum.
Qua tamen invecta Baruli intra mœnia, multo
Facta fuit major, cæterisque increvit egestas,
Ob numerum ingentem, qui sic affluxit, equorum.
Post hæc argenti pondus, fulvique metalli
Mittitur a Gallis, equites ut mille trecentos
Captivos redimant, productis legibus acti
Fœderis inter se. Sed quem Tritonia finxit,

Duxque Ducum Magnus fieri hoc debere negavit:
Id quoque militiæ veteri de jure probavit.
Utile quod nostris fuit, & laudabile factum;
Quale fuisse ferunt, cujus tam fama superstes
Nomen habet, dixit sibi quod portantibus aurum:
Parcite, non auro dominor, sed habentibus aurum.
O ducis invicti constantia pectora nostri!
Quo magis haud ventis quercus jam annosa resistit,
Nec magis aut pelago rupes immota procellis.
Tentarunt animos: scopulis stetit ille Sicanis
Fortior, & Scythicis, qui pectore stigmata portat
Catholici Regis, nunquam delebile signum.
Ecce superveniunt certi manifesta favoris,
Claraque signa Deum; nam sic dum castra laborant
Undique nostra fame, septem frumenta vehentes
Adveniunt pelago naves, quas maximus ille
Rex Regum Siculis sapiens mittebat ab oris.
Jam quibus appulsis, lætus ferit æthera clamor
Nauticus, atque ingens plausus permixtus utrinque:
Unde exempta fames castris, & reddita vita,
Esuriensque diu pariter plebs tota revixit,
Subventumque aliis populis, queis corde manebat
Conservata fides, sinceraque cura decori.
Ipse sed interea partito munere prædæ,
Arma recognoscens, acies, vexilla, cohortes,
Atque omnes equitum turmas, peditumque maniplos,
Majus opus rerum prudenti mente volutans,
Donec in optatis felix se proferat hora
Temporis, expectat, castrisque moratur in iisdem.

FINIS SECUNDI LIBRI.

CANTALICII

EPISCOPI ADRIENSIS ATQUE PINNENSIS

GONSALVIA.

LIBER TERTIUS.

Cœperat interea Dictæi cornua Tauri
Phœbus, & optatas Zephyris ſpirantibus auras
Ceſſerat acris hiems, & formoſiſſimus annus
Vere relaxarat gelidas redeunte pruinas:
Belliger hibernis quum Mars renovare relictis
Caſtra ſolet, ferroque acies armare recenti,
Ulciſcique ſuos, ſi quos habet, hoſtibus hoſtes.
Ergo ſua hinc Magnus ſtatuit jam caſtra movere,
Et proferre novas acies, Baruloque relicto
Latius indomitum Martem exercere per hoſtes.
Convocat egregias ad ſupplementa cohortes
Præſidii cauſa valido cuſtode locatas
Urbibus in noſtris nuper, Calabrumque per arces.
Tunc quoque, quem dederat ſervans Bellona favorem,
Præbuit eventus certiſſima ſigna futuri.

Nanque Tarentina Navarrus ab urbe relicta
Versus iter Barulum quum jam revocatus haberet,
Forte Bituntino suspecta per arva Tetrarchæ
Obviat, accitu Proregis castra petenti;
Qui fieri a nostris quum supplementa videret,
Ipse suas etiam decrerat jungere gentes.
Cognovere hostes ubi se, fit clamor utrinque,
State viri; nec tempus erat per jurgia bellum
Conterere, aut levibus pedibus vitare periclum,
Conflictusque truces: fuerant nam cognita postquam
Signa Bituntini, propius Navarrus inhærens,
Ac Herrera movens animosa Loysius arma,
Qui cum Navarro pariter revocatus abibat,
Per loca nunc hostem pugnantem cuncta sequuntur;
Qui quantum licuit, dextra tutatus honorem,
Corripitur patrui conspecta morte perempti.
O præda, o spolium plusquam victoris opimum!
Cum quo capta simul Sophiæ sunt munera quæque,
Musarumque chori, necnon divina Platonis
Dogmata, & in chartis quidquid Stagirita reliquit,
Et qui docendi superavit in arte Pelasgos,
Et qui dicendi superavit in arte Latinos,
Et Chrysippeæ numerosa volumina chartæ,
Et Medicas tempus qui contrivere per artes,
Perque Mathematicos numeros, & sidera Cœli.
Cur non, Phœbe, tuum servasti ex hoste clientem?
Se potuit servare tamen, tutusque redire;
Maluit ipse capi per aperta pericula vitæ,
Et non æquali tunc se committere Marti,
Quam piger, & lentus, Martisque ignavus haberi.
Sic igitur tanto spolio decoratus, omissum
Prosequitur Navarrus iter, victorque revertens
Ad Ducis ora sui, seque ad vexilla recepit.

Tunc quoque Lucanis Præsul Pudericus in arvis
Acriter obsessus, nullo terrore minantum
Territus; extremam, circumdatus hoste, coactus
Ferre famem, nunquam defecit ab Arce fidelis,
Dum Laurenzani tenuit se mœnibus, obstans
Bellorum assiduis incursibus, immo repressit
Sæpius oppiduli Gallorum ex arce furores,

 Atque

Atque Duci nostro cunctas fraudesque dolosque,
Hostis & insidias cautus patefecit iniquas.
O verax populi pastor, Puderice fidelis!
Qui tibi commissum ne forte periret ovile,
Sæva fidem servas per mille pericula mortis.
Ecce etiam interea ne quid Bellona favoris
Deneget, Arctois missi de gentibus adsunt
Alpestris peditum legio, quæ nomine magni
Cæsaris auxilium tandem opportuna ferebat:
Horrida gens, mortem nunquam consueta timere,
Queis pudor incolumes magnus discedere bello,
Et patriæ dulcem vitam servasse nefandum est.
Horum auctus numero postquam se gentibus esse,
Viderat esse parem, Baruli Dux Magnus ab urbe
Castra movet, campoque suas mox explicat alas.
Tunc etiam vulgo serpens invaserat urbem
Perniciosa lues, multo quæ tabida morbo
Læserat Hispanos, ut scires Astra, Deosque
Jam nostris, Magnoque Duci servare triumphos.
Et quia castra tenet Canusinis mœnibus hostis,
Non procul ipse suo Cannis consedit ab hoste;
Hic ubi Romanas acies ferus Hannibal olim
Fregit, & Æmilio Romam exanimavit adempto.
Inde Cirignolam versus jubet ire cohortes,
Altera ubi Senones a nostris bella timentes
Agmina præsidii non inferiora tenebant.
Noverat hæc postquam Proregis cura fidelis,
Emittit castris acies, atque ordine cunctas
Centurias, peditumque globos, bellique magistros.
Undique conflictus videas, simulacra futuri,
Inter utrosque Duces, necnon victoris utrosque
Spem gerere, & certos ex hoste referre triumphos.
Dumque iter incœptum sequitur Dux Magnus in hostem,
Indiga lympharum tellus, & torridus aer
Militibus nostris, nimium miserabile visu,
Lethiferam fecere sitim, confectaque passim
Æstibus immensis animantia multa cadebant;
Ante omnes Alpina manus, quæ in frigore nata,
Non poterat tantos æstus tolerare labores.
Pectore sed cujus pietas cum Marte moratur,

Per-

Perniciem miserans, necnon ut cœperat, hostem
Pergeret aggrediri, jussit Dux Magnus, ut omnes
Clune fatigati presso veherentur equorum:
Quisque suum accipiat, equites, post terga sedentem,
Ut jubeo, peditem, donec quo tendimus itur.
Dixit, & in primis, fieri quod jusserat ipse,
Sponte facit, pariterque omnes ea jussa capessunt.
Sicque focillatis per tanta pericula fessis,
Ante Cirignolæ sua collocat agmina portas.
Parva loci sedes, quam circuit Appula campi
Planities, Euri spectans a vertice Cannas,
Asculique videt Zephyri de cardine muros,
Atque die medio Canusinam vergit ad urbem,
Manfredi Scythico prospectat ab orbe Sypontum.
Impedit e muris metari castra parantem
Machina, & horriferis circumtonat undique bombis.
Ille tamen Magnus, veluti gestetur in umbra,
Circuit obsessam non unquam territus urbem,
Inclususque vias varie meditatur ad hostem.
Dumque ita pro castris inter tormenta laborat,
Cernit & instructas alia de parte phalanges,
Proregisque acies in se per aperta venire.
Ipse suos etiam lætus jubet esse paratos,
Intentosque omnes, statuitque in fronte cohortes
Italicas, nostrosque Duces: latus ordine utrumque
Hos curare jubet, simul & de more tueri;
Atque suas Aquilas, Hispanaque signa maniplis
Munit, & accinctos diversa parte tribunos,
Subsidiumque suo firmum locat ordine solers.
Præcipit, utque suo bombis intenta locetur
Machina quæque loco, depulsatura ruentes
Celtarum cuneos, & depressura furores.
Circuit accinctos equites Dux ordine Magnus,
Promptaque magnanimas hortatur ad arma cohortes.
Proximus hostis adest, jubeo vos pectore forti
Esse, ait, o socii, procul hinc formido, vel horror:
Hic hodie cunctos faciet nos parta perennes
Gloria: res geritur de queis vos bella moventes
Sæpe triumphastis, spoliisque Feretrius auctus
Lætus agit templis, vestroque superbit honore.

Gallia perdiderit primo si Marte furores,
Segnibus armatam potes hanc devincere pugnis.
Vos magis hortetur victoria, quam mea verba,
Atque hostes faciles vinci; nec terreat, oro,
Nunc quod in his castris gemino circumdamur hoste:
Hoste erit evicto duplici victoria major.
Italiæ, Italici, memores estote subactæ,
Cujus erat gentes mundi sub lege tenere:
Vos quoque, qui soliti quondam regnare fuistis,
Turpia servitii tandem juga rumpite vestri;
Nanque hodie Imperii sedem reparare licebit,
Signaque mœstitiæ, longas deponere barbas.
En ego, nec mortem nostro pro Rege recuso,
Si volet hic hodie stata sors me perdere vitam.
At nos victores erimus, scio, pellite segnem,
Si quis adest, quatiat qui pectora vestra, timorem.
Invida si fuerit nobis fortuna, cavete,
Hic hodie vestrum ne quis moriatur inultus.
Talibus inflammans alacri monet ore cohortes
Sponte sua unanimes, quæ tum mucrone paratæ
Hostem expectabant, non ulla pericla paventes.
Nec minus ecce suo properans agit ordine classes
Barbarus, & nostris ferus admovet agmina castris.
Jamque dies consumptus erat, lassusque bibebat
Occiduas Pyrois aquas, noctemque vehebat
Vespra, sideribus Phœbo cedente reductis;
Agmina quum Senonum solito correpta furore,
Sulphuris invadunt furioso turbine nostros,
Concurruntque suo collatis ordine signis.
Acriter obsistunt adverso pectore nostri:
Incipiturque atrox pugnæ conflictus, & atri
Mavortis facies; reboat quoque non minor alter
Bombus ab Hispanis: passim cadit ictus utrisque
Plurimus in castris miles, dum prælia miscet,
Exercetque manus: sed dum furibunda per hostes
Ingruit, atque globo facto gens Gallica magno
Occupat invadens, qua machina nostra sedebat,
Sulphureusque niger pulvis, qui forte paratus
In tenues abiit totus correptus in auras.
Gallicus exultans, spolioque elatus inani,

Vi-

Victorem haud dubie palma se sperat adepta.
Magnanimus sed enim Dux hæc incendia cernens,
Vicimus, exclamat, simul accipit omina flammæ;
Inde suos hortans, geminas diducit in alas,
Binaque confertim per cornua circuit hostem,
Intrepidusque volans, veluti per nubila pressum
Fulmen*, adit medios hostes: ipsumque sequutæ
Profligant Gallos violenta per arma cohortes,
Atque maniplares acies, peditumque ruentes
Centuriæ superant trepidos, victosque trucidant.
Turpiter inclinant Senones, pedibusque salutem
Imposuere suis: fuit at spes falsa salutis,
Quippe ubi cœca hosti, conversaque terga dedere,
Tunc adventantis per sera crepuscula noctis
Commisso male Marte cadunt, passimque relinquunt
Exanimata diu pastura cadavera corvos.
Nam Prætoritiam ducens, Dux magne, cohortem,
Primus ibi ante omnes stricto mucrone coruscas,
Et prosternis equo, quæcunque est obvia, turbam.
Æmathiis qualis victor jam Cæsar in arvis,
Quum generum fato castris spoliavit iniquo;
Arpinas vel qualis erat, quum sceptra Jugurthæ
Fregerat, aut Latio superaverat agmine Cimbros;
Qualis erat vel qui Spartanos vincere primus
Jam docuit, quum se morientem vivere dixit.
Hinc ruit invictam quassans Mendozius hastam
Didacus, & solitas strages facit agmine fuso.
Quantus erat Tuscis quondam Petreius in agris,
Quum male juratæ male deperiere cohortes.
Ille etiam, titulos cui dat Messana Prioris,
Bellatoris agens animoso pectore partes,
Tartareas Senonum multos detrusit ad umbras.
Impiger haud aliter nunc hinc, nunc inde cruentat
Indicus arma Lopes, non parvula portio Martis.
His & magnanimus pariter fulgebat in armis
Franciscus Sances, qui fido pectore Regni
Dispensator erat, reliquis per singula major,
Et pro subsidio castrorum in parte locatus
Extrema, solers ita se servavit ab hoste
Cum sociis, agitque suas per Celtica partes

Agmina,

Agmina, ut innumeris fusis, stratisque micando,
Miscuerit fortem prudens sine vulnere dextram.
Verum ubi Navarrum senserunt terga prementem,
Barbara gens, pedibus celeres superaddidit alas;
Quippe ubi se peditum validi effudere manipli,
Et cunei Hispani, maduit tepefacta cadentis
Sanguine gentis humus, campique perhorruit æquor
Cædibus innumeris Divorum Numine factis.
Prælia quis referat, gessit quæ Pacius? aut quis
Crederet in fibris quod gestet homuncio Martem?
Quis pectus, quis crura putet, quis colla, manusque,
Monstriferumque caput, gibbosaque terga, pedesque,
Posse suos quoties devincere cogitat hostes?
Orba velut tigris catulis Hircana remotis,
Circuit omne latus, nuncque hos, nunc impetit illos,
Conturbatque hostes omnes, Gallosque paventes
Ense forat stricto, duro vel robore clavæ
Verticis infringit galeas: neque cernitur acri
Dum vehitur tantillus equo, sellaque coruscat
Dum minor ipse sua, portatque in pectore bellum,
Nomen Pacis habens; sequitur quem Pacius alter
Carolus, invicta de gente creatus eadem,
Æqualisque animi. Lætare Hispania felix,
Tantorumque Ducum, Regumque invicta creatrix.
Inde suas partes peragunt duo clara Columnæ
Lumina, jam quales fuerant, quibus Africa quondam
Tradidit æternum domita Carthagine nomen.
Proximus hos sequitur ejusdem gloria gentis,
Marcus agens equites Antonius agmine tales,
Ausoniis quales Marcus Marcellus in arvis,
Britomatum Eridani quando obtruncavit ad amnem.
Nec minus inde sua valida comitante caterva
Thermulus Andreas hostem premit, urget, agitque,
Acer, eos animos gestans, quos unus & alter
Ad Capuam juvenes jam monstravere Latini,
Irrupere simul Tyrii quum castra tyranni.
Parte ferox alia fugientum terga flagellat
Magnanimo Cantelmus equo, galeaque tremendus,
Mœnia jam qualis Lirnessia cepit Achilles,
Aut quantus fuerat bello Thelamonius Ajax;

Pri-

Primus enim intrepidus pilum inclinaverat idem,
Primus & invasit reliquis tardantibus hostem.
Quem sequitur forti Princeps Montorius hasta,
Cui comes hærebat pugnax Aquilana juventus.
Providus hinc Princeps Nojæ quatit agmina passim
Celtica, prosternens male non inglorius hostem.
Conserit inde manus Feramusca nec impiger Hector,
Haud illi dispar, qui jam pro sede paterna
In Danaos fuerat jaculatus gnaviter ignes.
Strenuus hinc gessit Antonius arma Marinus,
Qualis erat Latiis Rutulus furibundus in arvis.
Quem sequitur Zurlusque ferox, fortisque Turaglias,
Alphonso charus miles, dum Regna manebant,
Et qui dum pugnat, quia cominus impetit hostem,
Perdidit accepto defossum vulnere lumen.
Margaritonque suas partes Loffreda peregit.
Hos inter memorans non te, Morimine, silebo,
Nec te laude tua fallam, Trojane, merentem;
Quippe inter Gallos ita te geris ære coruscus,
Ut qui restituit patriæ sua signa Camillus,
Atque suos vetuit pavidos migrare Quirites.
Sed solitus Turcas duplici superare duello,
Non mirum est Gallos si nunc, Morimine, scidisti.
Jamque ita pars atræ bellis transacta cruentis
Pleraque noctis erat, Gallorumque undique ferro
Conciderat pars icta truci, pars vincula passa est,
Portio parva pedis celeris, noctisque favore,
Quas potuit, tutas fugiens evasit ad oras.
Ex quibus adjunctis suffultus Alegrius alis,
(Pacius haud longe Petrus quod terga premebat)
Vix ad Parthenopes pervenit mœnia tutus,
Unde ad Cajetæ pavidus se contulit arcem.
Arsius atque tremens Venusina Loisius intrat
Mœnia, non salvæ procul a discrimine vitæ.
Milite disjecto, traduntur castra rapinæ,
Raptaque ad Hispanos abeunt tentoria nostros.
Qui simul & mensis, Galli quas forte pararant,
Quam prius accensam cecinissent classica pugnam,
Vescuntur, recreantque alacres confecta labore
Corpora: post noctis, quæ restat, parte quiescunt.

Postera post noctem postquam lux alma reversa est,
Tum pietatis amans sortem miseratus acerbam,
Corpora cæsorum tumulanda requirere campis
Imperat, & matri Dux Magnus reddere terræ.
Dumque igitur numerum per densa cadavera quærunt,
Agnoscunt faciem Proregis, & ora perempti;
Quippe suos inter, veluti Catilina, jacebat,
Sævus adhuc sitiens nostrum per labra cruorem.
Sensit ut hoc primum, cordis Dux Magnus ab imo
Ingemuit, tumulique illum dignatus honore,
Imperat exequias fieri, funusque superbum.
Ocyus imperio parent, corpusque feretro
Imponunt, decorantque super Proregis honore;
Atque illum miserans Dux invictissimus, inquit:
Infelix, nostris tandem superatus ab armis,
Galle jaces, ponisque tuos miserande furores,
Et cœnare hodie mecum qui, Galle, volebas,
Sic me decepto, mensas Plutonis adisti.
Inde jubet Barulum turba comitante cadaver
Deferri, ac sanctum fieri, condique sepulcro,
Tale super tumulo necnon superaddere carmen,
Ipse sibi jussit quum jam spoliatus obiret:
Gallicus hac claudo Dux ossa Nemorsius urna,
Armeniacique Comes, qui quum modo bella moveret
Gallorum Italiæ Rex, jura vicesque gerebam,
Victus ab obsessis jacui, quis credere possit?
Crede mihi, Hispanos poterit tunc vincere Gallus,
Quando mihi superas remeare licebit ad auras.
Terruit hæc alias subito victoria gentes
Vulgo per Appuliæ fines, ultroque trementes
Ad fidei redeunt violata signa rebelles.
Attamen imperii servabat Melphius arces
Regulus, augurii quadam spe fultus inani;
Sed Ducis invicti quum se videt agmine cinctum,
Imperio, facta mox deditione, recessit.
Quam faciles ad vota Dei, quam cuncta benigni
Contribuunt, si recta petas, si justa requiras!
Quam male bella fovent, ea si non justa ferantur!
Nam prius hac Calabros fuerat modo parta per agros
Altera vix octo lapsis memoranda diebus

Igno-

Ignorata Duci penitus victoria nostro.
Hanc etiam nobis faciles dictate, Camoenæ,
Et celebrate Duces, quorum virtutibus omnes
Ad se tunc Calabros Hispania nostra recepit.
Noster adhuc Baruli Dux Magnus castra tenebat,
Quum Calabris Portuscarrerius appulit oris,
Fortia qui secum peditum sex millia ducens,
Atque quadringentos equites, a Rege recenter
Missus erat nostro, fatis appulsus iniquis;
Quippe ubi Rhegina primum consedit in urbe,
Mortuus est paucis correptus febre diebus.
Hic postquam vita sic defrustratus obivit,
Voce Ducum unanimi Dux est Andrada creatus
Auspicibus Superis cunctis, & Marte secundo,
Non minor antiquis Ducibus, nec segnior illo,
Tunc non immerito cujus successerat armis.
Immo pares socios, fortissima pectora, secum
Talibus in castris bello spectatus habebat.
Illinc Emmanuel, illic Cardonius Ugo,
Illic Hernandus, illic Caravaglius, illic
Albaradus erat, illic Gonsalvus Avallus,
Hic erat & Leivas Antonius, & Ficaredus:
Ductores omnes, quales jam Cæsar habebat,
Ille vel in Latium qui gessit bellua luscus,
Vel cui nec sat erat, quem debellaverat, Orbis.
Ergo ubi perstructas acies Andrada decoras
Viderat esse suas, statuit jam castra movere,
Atque hosti faciem jam demonstrare, manusque;
Sicque iter ingressus, Themesæ consedit in arvis.
Hostis apud Terinam, quæ nunc Novaterra vocatur,
Indomitasque manus, & fortia castra Baruttus,
Atque suos animo jam formidante tenebat.
Qui de more suo, venturæ nescius auræ,
Ad pugnam Hispanos misso præcone vocavit.
Prælia magnanimus non hæc Andrada recusat,
Immo etiam in votis nil se magis inquit habere,
Suum belli eventum Rhodani cum gente aliquando
Tentare, & fortem dextram committere pugnæ.
Talia, qui missus fuerat, responsa reportat.
Dicitur ergo dies pugnæ conceptus utrinque,

Signatusque locus, qua parte Petraceus amnis
Labitur, & latis invitat prælia campis;
Hic ubi jam Alfonsi victa est speciosa propago,
Pectore magnanimo nimium confisus, & armis.
Jamque micabat Dux telis propinquus uterque,
Nec revocare gradum jam structo Marte licebat,
Strenua quum legio peditum Cardonia bellum
Abnuit, atque negat tali se credere pugnæ,
Ni prius accipiant mercedis præmia pactæ.
Magnanimo sed enim socios Cardonius omnes
Talibus aggreditur non sicco lumine verbis.
Quæ vos segnities, quæ vos formido moratur,
O fortes socii? quæ pectora vestra retardat
Vilis avaritia, & nummi tam fœda cupido?
Usque adeo immemores vestri vos estis honoris,
Exigua ut vobis pro non mercede soluta,
Non hodie pudeat manifestam perdere palmam?
En ego, ne dubia vos pro mercede laboris
Pugnetis, vobis mea sit quæcunque facultas,
Depono, necnon fuerit quæcunque supellex.
Sic ait; ac vestes omnes, & quicquid habebat,
Imperat efferri, simul & de pectore torquem
Eximit ipse suo, sociis quæ cuncta fidele
Depositum esse jubet: dextra mox accipit hastam
Magnanimam, pedibus decertaturus in hostem.
His ita sedatis animis, Andrada cohortes
Instruit, atque suo jubet ordine signa moveri,
Et proferre gradum, donec prope constitit hostem.
Sed simul Hispanas conspexerat ordinis artes,
Dispositasque acies, animo titubante Baruttus:
Vincimur hic hodie, socii scio, turpiter, inquit,
Sed tamen ad pugnam fortes estote parati,
Quippe mori potius mihi stat sententia bello,
Quam fugere, atque hosti convertere terga sequenti.
Sic ait, & rursus socios hortatus ad arma,
Nostraque grassatur furiosus, & agmina quassat.
Protinus at nostri collatis ordine signis
Pectora pectoribus committunt, telaque telis.
Hinc Andrada furit, furit hinc Gonsalvus Avallus,
Inde acer trepidos urget Cardonius hostes;

Illinc

Illinc Hernandus, illinc Benavidius, inde
Albaradus adest, illinc Caravaglius, illinc
Conturbat Senonum fortis Ficaredus acervos;
Hinc Leiva attonitos Antonius undique pulsat.
Post aliæ subeunt equitum, peditumque catervæ,
Ac conclusa velut mandris armenta gregesve,
Sic circumventus Gallorum exercitus omnis
Sternitur, aut rapitur, vel compilatur, & omne
Dat spolium infelix victori victus opimum;
Cumque Severino Alfonso cepere Malerbam,
Atque Severini fratrem, evadente Barutto,
Qui celeri confisus equo, comitisque fidelis
Auxilio, Angitulam sospes confugit ad arcem;
Captus ubi est paucis prensa post arce diebus.
Cesserat imperio postquam Dux Melphius omni,
Clade Cirignolæ qui liber Alegrius ibat,
Relliquias victæ collegerat undique gentis,
Rebus adhuc sperans se reddere posse salutem,
Jam quibus omnino fuerat spes nulla relicta.
Sed quia magnanimus fugientis terga premebat
Pacius, ille gradum trepidus celerabat, & alas
Induerat; tandem fugiens, ad mœnia Nolæ
Non fuit admissus, sed portis pulsus abivit,
Regis Aragonei quod Nola tenebat amorem.
Inde ad Parthenopes devenit mœnia, & inde
Pectore Cajetam semper trepidante petivit.
Quin etiam interea Tetrarcha Bisinius ibat
Illorsum fugiens, Regni quoque sede relicta,
Sarcinulasque ferens, turba comitante suorum.
Sed miser occultæ veritus ne conscius esset
Forte viæ, quem tunc trepidabant, Pacius, omnes;
Sarcinulis cunctis rerum, mulisque relictis,
Ad mare vertit iter trepidus, remoque parato
Ad Cajetanas vix tandem elabitur arces.
Protinus Aversam, Capuamque Loisius urbes
Principe cum Nojæ missus Herrera recepit.
Rebus ab Hispanis sic tam feliciter actis,
Et Senonum victo deletis milite castris,
Finibus Appuliæ tandem, Calabrisque relictis,
Dux alacris noster, spoliisque refertus opimis,

Stre-

Strenua castra movet, Samnitum constitit arvis.
Unde Oratorem misit tibi, dulcis amica
Parthenope, per quem toto te corde rogavit,
Ad vetus imperium, necnon ad sceptra benigne
Pristina Aragoneæ gentis sine Marte redires.
Utque animos populi magis ad sua vota moveret,
Fidum a secretis, veluti per cuncta solebat,
Bernaudum accersit, placidis quem implere papyrum
Imperat, ac blandis verbis, notisque benignis.
Ille igitur scribens, Scythicas qui flectere cautes,
Atque etiam poterat scopulos mollire Sicanos,
His ad Parthenopen scriptis tunc vocibus inquit.
Inclita Parthenope, Regum studiosa tuorum,
Sanguine Aragoneo quotquot natura creavit,
Nomine te Magni Ducis hinc salvere jubemus;
Atque intermissæ fidei te ad sceptra reverti
Hortamur, rebusque tuis revocare quietem.
Cernis enim, nobis quantum Bellona favoris
Præbeat, & quantum foveant nos Astra Deique,
Ipsa nec ignoras; nec te Castella, nec Arces,
Quam tenet aut hostis, nec te Cajeta retardet;
Nam licet afflictis Gallis nunc præstet asylum,
Illa erit elapsis non multis nostra diebus.
Sis memor antiquæ, tibi quam pia tempora pacis
Jam dederant, quum tu fueras sub Regibus illis
Semper Aragoneis felix, ornata triumphis;
Sub quibus has nostras cunctas Astræa per oras
Læta vagabatur, veluti quum secla fuerunt
Aurea: summa quies passim, pax summa per omnes,
Tunc inerat populos, necnon tutissima sedes;
Qualibet extorres ierant regione latrones,
Nulla viatores aliquos formido tenebat;
Fas erat & dulces sub qualibet arbore somnos
Ducere, & in primis tutos habitare penates.
Bacchus ubique dabat large sua dona, Ceresque
Luxuriabat agris, perque oppida cuncta, per urbes,
Ut quondam ante Jovem; justumque, piumque vigebant,
Nusquam fracta fides, nusquam violentia, nusquam
Conjugis amissæ deflebat damna maritus.
At nunc barbarici quia sic voluere furores,

Le-

Legibus amissis lacrymat Campania tota
Pressa jacens, Calabrumque solum, gemit undique tellus
Daunia, Peligni, Marsique, Æquique subacti.
Non usquam pastor, non usquam tutus arator,
Villicus aut usquam, parvi nec cultor agelli:
Ulla viatori non est tutela viarum,
Qualibet invadunt nunc in regione latrones;
Belgarum in prædas abeunt armenta gregesque,
Deque viri rapitur mediis complexibus uxor,
Et patitur stuprum castissima virgo nefandum.
Et ne quid desit, leges siluere Latinæ,
Nusquam justitiæ, nusquam pietatis honores.
Quod tu si redeas, eadem tibi sancta redibunt
Secula, & ejectis non amplius obvia Gallis
Mœnia; sed priscam faciem, vultusque resumes.
Eja age, in amplexus, formosa, revertere nostros,
Nec sine barbaricos tibi lædere colla lacertos.
En tua qui toties tutatus mœnia servat,
Qua tibi Dux Magnus vis conditione pacisci,
Omnibus in rebus laxas promittit habenas.
Si vero est animus defendere mœnia bello,
Nempe dolet cogi violenta per arma nocere
His, quibus auxilio soleat poscentibus esse.
Longius haud vehimur: tu respondere rogatis
Ne differ, prudensque tuis cito prospice rebus.
Protinus his missis, talique tenore tabellis,
Progreditur sua castra movens, Urbique propinquat.
Littera Parthenopen postquam recitata per omnem
Talis erat, subito videas excitata renatæ
Murmura lætitiæ, veterisque ad sceptra reversum
Imperii populum: mox ex Consessibus unum
Concilium cogunt cunctis, quo deinde coacto,
Decretum faciunt non discordante Senatu,
Haud expectato portis ut Marte reclusis,
Sponte Ducem Magnum misso Oratore recepten.
Atque ita Consessus de quolibet ordine bini,
Et duo de numero plebis simul ire jubentur,
Obvia Aragonei Regis qui signa ferentes,
Cum Duce, quæ vellent, componere pacta valerent.
Verum perfidiæ ne crimen turpe subirent,

Sic,

Sic, prius ac irent, hominesque, Deosque, Deasque,
Regis apud Scribam Gallorum nomine Magnum,
Testati fuerant, quia spes jam nulla daretur,
Esse opus afflictis ita nunc succurrere rebus.
Dux jam Parthenopes vicinus adhæserat urbi,
Et sua non longe deduxerat agmina Magnus,
Huc ubi Caudinas tulerat gens Martia furcas,
Et juga sunt passi nimium probrosa Quirites.
Et qui bisseni populi mandata ferebant,
In castris fuerant læta jam fronte recepti.
Ex quibus eloquio fuerat qui promptior unus,
Ante Ducem Magnum placido est sic ore loquutus.
Nos quoque, belligeræ Dux invictissime gentis,
Nomine te nostri populi salvere jubemus,
Præsentemque tibi rerum fortuna tenorem
Servet, ut optamus, ac felix acta secundet,
Quodque fiet faustum, nostra nunc jura fidemque,
Cumque suo populo nostram tibi reddimus urbem,
Nostraque cum totis reseramus pectora portis.
Quare age, in amplexus veteres, gremiumque recepta,
Gentis Aragoneæ Dux invictissime alumnus;
Nam tibi, quando voles, ad nos intrare licebit:
Reddimus ecce tibi, quam reddere possumus, urbem.
Tu tibi, quæ restant, reddes castella, vel arces,
Est cui sorte datum devincere Marte, quod optas.
Nos unum oramus, sub conditionibus illis
Ut firmare velis, felici tempore læti
Quas tulimus quondam, quando melioribus annis
Stabat Aragonidum Regum generosa propago.
Dixerat. Arridens hic Magnus fronte serena
Dux ait, amplectens, necnon simul oscula præbens;
Et vobis medio de pectore reddo salutem,
Esseque felices cupio, perque omnia grates
Reddimus, atque vices tanto pro munere, Cives.
Anxius ancipiti pressus modo mente verebar,
Parthenopen contra ne sumere cogerer arma;
Pro qua jam toties non ulla pericla tuenda
Extimui, non mille æstus, non mille labores.
Gaudeo, quod melius Dii prospexere benigni,
Vos igitur sperare licet, Duci credite vestro,

Quid-

Quidquid in arbitrio nostri est, ac pectore Regis.
Poscite, nam dabitur; limen pulsate, patebit:
Vestra nec incassum fundentur vota, precesve.
Quam datis, accipimus urbem; castella, vel arces
Dii quoque restituent paucis, ut spero, diebus.
Nil erit a nobis de conditione refectum,
Quam sub Aragoneis tenuistis Regibus olim.
Et rata scripturis (fuerint quæcunque) jubemus
Esse, vel ex vero stabilimus pectore cuncta.
Vos quoque quæ geritis, rogo, festinate, morasque
Tollite, quæ restant, nam nos ad bella vocamur.
Illi ita dispositis rebus, veniaque petita,
Parthenopen redeunt, populoque ad rostra vocato,
Civibus exponunt, sibi quæ mandata dedissent,
Quo confecta modo, vel qua ratione fuissent.
Ergo expectatur jam jam Dux Magnus ad urbem
Venturus: pars tecta parat, pars strata viarum
Instruit, & pompam populi, pars agmina cogunt
Obvia, & Hispanæ pandunt vexilla volucris.
Quumque propinquaret, videas prodire ruentes
Protinus e portis, ultro quas esse reclusas
Dixeris, & nulla dextra referantis apertas.
Tandem acies inter spectandus, & arma decorus
Expectatus adest, veluti quum Cæsar ab urbe
Pompejo fugiente fuit: fugere rebelles,
Et qui perfidiæ non curavere pudorem.
Ipse autem toto populi plaudente Senatu
Ingreditur, cunctos facie arridente salutans,
Plebejumque gregem, necnon juvenesque, senesque,
Matronas, puerosque simul: clamore fenestræ
Personuere omnes, & gestivere Penates,
Artificumque alacres cunctorum ad sidera voces
Certatim exultant, tanquam si Magnus uterque
Alfonsus redeat, vel si Fernandus uterque,
Vel qui Gallorum partes sectatus inepte,
Parthenopes abiens Regnum, vitamque reliquit.
Ergo urbe insigni sic jam plaudente recepta,
Qui Turres, Arcisque Novæ castella tenebant,
Quamvis illa manu non expugnanda tenebant,
Quassabant dubium tamen in formidine pectus;

Nam quale ingenium, quantum & virtutis haberes,
Et quos militiæ socios, Dux Magne, sciebant;
Et quod nulla tuæ, licet alta, resistere possunt
Oppida, nec portæ, nec propugnacula dextræ.
Consulit in rebus quidnam Dux esset agendum
More suo, nunquid celsas vi militis Arces
Expugnare paret, vel si, Cajeta, repente
Te petat, atque tuum diffringere quærat asylum.
At quoniam reliquam prius hinc expellere pestem
Visum erat utilius, motus ratione salubri,
Qua melius valeat, pervadere cogitat Arcem;
Quam tunc prompta manu Gallorum turba tenebat,
Et procul excelsos servabat machina muros
Plurima, qualis erat Superi qua Regna tuentes,
Enceladi vires jam confregere tremendas.
Ergo datur tanti Navarro cura laboris,
Non modo cui fibræ vivunt in pectore Martis,
Sed quem Dædaleas etiam natura per artes
Instituit, rerumque simul longissimus usus.
Hic onus impositum quum suscepisset, habendam
Ingenii nervos totos intendit in illam.
Stat munita situ, murisque arx fulta profundis,
Quam Reges dixere Novam, seposta parumper
Dulcem Parthenopen Solis qua spectat ab ortu,
Deque die Infernum medio videt ardua pontum,
Tyrrhenumque fretum, placidumque in littore pulchris
Molibus observat portum: videt inde superbum
Distinctum fossis a Sole cadente virectum:
Delicias dulces Regum, dum fata volebant.
Atque inter primos muros, ipsumque virectum
Ingens fossa jacet, pelagi quæ tendit ad undas.
Contra erecta mari cui stat Vincentia turris,
Hanc ibi quæ fossam duplici de parte tuetur,
Ne sine morte queat contingere mœnia quisquam.
Sursum inter primos muros, Arcemque superbam
Altera fossa cavo præceps castella per altas
Circuit ambages, conjunctaque ponte ligatur,
Quo supra stat Porta, vocant quam nomine Ferri.
Mœnia sed post hunc simul aspicis altera pontem,
Cumque triumphali consurgit fornice Porta

Re-

Regia, quæ Alfonsi prisci monumenta figurat;
Qualis Septimii testatur in Urbe trophæum,
Aut ibi quale decus demonstrat Flavius Arcus.
Felix porta quidem, Boreæ quæ cernit ab axe,
Montem apud Erasmi, cineres atque Maronis.
Quinque etiam acri circumstant vertice Turres
Mœnia castelli, quas ex adamante tenaci
Dixeris extructas, ac factas Palladis arte.
Ex quibus una maris prospectat, & altera fluctus;
Luciferi roseo quarum altera surgit ab ortu,
Parthenopenque suam semper miratur, & audit,
Quodque bibit pontum, Turris Bibirella vocatur;
Hæc etiam a tergo felix adjungitur Aulæ,
Altera, qua non est unquam speciosior, immo
Altera, qua non est toto felicior orbe.
In qua personuit casta jam voce Thalassus,
Legitimique tori pugnas Hymenæus habebat,
Clara peroptati quoties subisset alumna
Gentis Aragoneæ consortia virgo mariti.
Altera contiguas pelagi quæ respicit undas,
Jam quoniam argenti servabat pondus, & auri,
Jure sibi fulvo nomen contraxit ab auro.
Tres aliæ pariter, quæ vertunt terga profundo,
Partim Campani nomen de nomine sumunt,
Partim de Mediæ dicuntur nomine Portæ;
Quid referam nitidos splendentia tecta penates?
Quid Reginarum thalamos Regumque decoros?
Quid quæ contiguum spectant cœnacula pontum?
Cernere ubi fas est concha Tritona canorum,
Et virides Thetidis natas, pelagique potentem
Regnatorem ipsum curru, sceptroque superbum.
Quidve pium Templi cum majestate decorem,
Quidve chorum memorem? tales ubi plurima voces,
Et tam dulcisonos meditatur Musica cantus,
Qualia mergebant Sirenum carmina nautas.
Interiora domus quid dicam cetera? quidve
Atria, & ære suo stridentes cardine portas?
Hac igitur circumposita obsidione, paratur
Qua ratione capi possit Vincentia Turris,
Quæ tormentorum castelli oppressa trementis,

Celsa tuebatur transversis mœnia bombis.
Ergo expugnandi qui ceperat ordine curam,
Consilio instructus Magni Ducis, atque Minerva,
Facta ex naviculis Navarrus classe, timentem
Invasit Turrim per fusa silentia noctis:
Ocyus atque hosti sic improvisus adhæsit,
Quod non auxilio potuit vis ulla parari,
Immo nec ipsa suos emittere machina bombos.
Unde ita præventum dum se circumspicit hostis,
Navarro Turrim cum deditione reliquit.
Hac capta, auxilium muris, Gallisque furentes
Defecere animi, spesque inclinata retrorsum,
Capta quod extemplo tuti sunt septa vireti,
Quod modo bomborum Vincentis turbine Turris
Accessum prohibens ictu feriebat amaro.
Hoc tormenta loco Navarrus tuta locavit,
Atque apud Erasmi radices, unde videri
Porta potest clari de nomine dicta triumphi;
Custodem ut melius hostem sic læderet Arcis
Tutius, & muros posset penetrare sub imos:
Quod meditatus erat prius ac tormenta locaret.
Effossis igitur cuneis qua parte supernum
Scanditur ad pontem, Portam qui partit utramque,
Tandem multorum non absque labore dierum,
Pervenit ad primos muros, quibus arte cavatis,
Pulvere sulphureo cuneos, & fasce replevit;
Qui, superinjecto mox igne, repente ruinam
Cum fragore trahunt, murorum parte revulsa,
Cumque simul facta multorum strage virorum,
Qui super astabant, & propugnacla tenebant.
Murorum extemplo pariter fastigia summa
Diruta: scandit ovans velox Hispana juventus,
Ruderibus subnixa pedes, & calce ruinæ,
Evaditque ferox stricto mucrone per hostes,
Pro clypeis gestans tunicas animosa sinistris.
Obstant ardentes Galli, fortesque repugnant,
Sed tamen inclinant miseri, nostrique sequentes
Nugnus, & astuti Navarri Dædala dextra,
Didacus & gentis dictus cognomine Vera:
Dixeris aspiciens ternos quos esse leones.

Quo

Quo ſuper incubens ſtat ferrea Porta, propinquum
Corripiunt pontem, quem ſuſtentare paratus
Dendatus medios, imitatus Coclita, in hoſtes
Conſtitit, & pugnans vitam cum ponte reliquit.
Inde alium propere, nullo remorante timore,
Canabis invadunt pontem quem torta levabat,
Atque ibi ſcenobates unus repente per haſtas
Sublatus, ſcandit ſubito, funeſque recidens,
Cum ponte a ſuperis ſuſpenſus ad ima redivit.
Occupat hunc Hiſpana manus, ſuperantque cadentem
Navarrus compos voti, Nognuſque Ducampus.
Nec ſpectatorem tum ſe Dux Magnus inertem
Præbuit, aut tantæ procul a diſcrimine pugnæ;
Verum inter primos correpta convolat haſta,
Et qua continuis feriebat machina bombis,
Inſerit intrepidus ſe ſe, famaque decora
Hortatur ſocios ſolito de more fideles.
Devolvunt lapides ingentes turribus altis,
Ferventiſque olei conchas ſuper agmina Galli,
Ignitoſque ſimul cineres, queis preſſus Iberus
Plurimus obruitur, longe miſerabile vulgus.
Territa verum animis noſtrorum Gallica turba,
Munimenta licet tunc Arcis maxima quæque,
Et quod deficeret nullis in rebus, haberet,
Pacta Ducem tandem cum deditione popoſcit;
Atque ita Regali Magnus Dux Arce potitur.
Unde ſtatim Senonum gens expugnata receſſit,
Ireque conceſſum, quo vellet, ſoſpite vita,
Sed tamen ante ſuis rebus, noſtriſque relictis.
Ecce autem claſſis, ſed fruſtra, luce ſequenti
Affluit, auxilium caſtello Gallica portans.
Nam quibus auxilio veniens inſtructa potenti
Succurſura fuit, præreptas reperit Arces.
Ergo iter acceſſu vertit fruſtrata retrorſum,
Inarimenque petit, noſtramque in littore claſſem
Obſidet, & ſævis circumvenit undique bombis,
Fortior & numero, remiſque potentior urget.
Parthenope Gallis pulſis, atque Arce recepta,
Expugnanda manu, vel per tormenta famemve,
Reſtabant etiam Megaris Caſtella puſillæ,

Po-

Posteritas aliud posuit cui nomen ab Ovo:
Insula circumfluo pelago, quæ sustinet arcem
Post Arcis castella Novæ; tenet illa repostum
Monticulum, rupemque cavam, fontemque perennem,
Dulcis aquæ quondam vivaria amœna Luculli,
Et nunc Parthenopes requies placidissima nostræ.
Altior e contra cui stat Falconia Turris,
Planities ubi parva jacet, qua nostra sedebat
Machina, in obsessam Megarim missura ruinam.
Hæc quoniam defensa freto, murisque superbis,
Et quod adhuc valido sese custode tenebat,
Et quod multorum fuerant incœpta dierum,
Traditur hæc etiam Navarro cura relicto.
Qui sibi jam expertas iterum conversus ad artes;
Et nova per cuneos emissa tonitrua bombi,
Ante revertentem quam Cynthia cerneret orbem,
Hanc pariter cepit violenter providus Arcem.
Ipse ad Cajetæ Dux Magnus pergit asylum,
Gallorum ut nostra divertat classe carinas,
Et reliquos Regni detrudat finibus hostes.

FINIS TERTII LIBRI.

CAN-

CANTALICII

EPISCOPI ADRIENSIS ATQUE PINNENSIS

GONSALVIA.

LIBER QUARTUS.

PErge novum Vati carmen dictare canenti,
Atque laborantem valido ſine remige puppim
Tandem ad Cajetæ recto fer tramite portum,
Calliope, facileſque meis da lintribus auras.
Et tu, Najadum decus, o ſpecioſa ſororum
Unica, quæ Liris frueris complexibus almis,
Diva fave, ſi bella canam, quæ ſanguine ripas
Infecere tuas, & pontibus anxia magnis
Complicuere tui, ne curreret, ora mariti.
Dicam acies, dicamque Duces, dicam horrida utrinque
Prælia, dicam animos, & pectora Martis Iberi,
Reddita Aragoneis quibus eſt Æneia nutrix.
Sæva Cirignolæ victi poſt fata Nemorci,
JuſTerat extemplo Magnus Dux ire receptum
Aprutii amiſſos populos, genteſque rebelles.

Qui jussi fuerant, pariter mox agmine facto
Strenua castra movent, populosque urbesque profecti
Terrificant omnes, diversaque murmura miscent.
Fabricius, qui Marte suo tam clara Columnæ
Firmamenta jacit, quæ non vel bella, vel hostes,
Nulla vel a magno venientia fulmina cœlo,
Et quæ non ævi poterit delere vetustas:
Restainus Cantelmus item, quo Pelias hasta
Non fuerat major, cecidit qua Troius heros:
Necnon magnanimus Princeps Montorius ibat,
Obsequitur merito cui nunc Regina volucrum,
Quique Amiterninam gentem temone sub uno,
Atque in Aragonei Regis conservat amore.
Ergo Fabricio postquam Dux Magnus habenas,
Arbitriique vices, necnon & jura per omnes
Aprutii gentes concesserat, ille triremes
Protinus ascendit, peditum comitante phalange.
Ocyus, & pelagi sulcatis protinus undis,
Navigat Aprutium versus, remoque secundo
Optata potitur terra, Vastumque receptat,
Atque ibi tantisper vigilanti mente moratur,
Donec Restainus, modo quem revocarat, adesset.
Cui postquam conjunctus erat, sic terruit omnes
Climatis illius gentes, atque oppida quæque,
Ut jam sponte sua portantes undique claves,
Obstructas facili reserarent cardine portas.
Sed Marrucina tota cum gente reversum
Extulit in primis Hispanica signa Theate,
Magnanimo rebus sic prospiciente propheta,
Qui Marrucinæ gentis quia maxima proles,
Dives opum, patriis solus regit omnia terris,
Atque Aragonensem semper servavit amorem,
Fabriciumque ipsum mox in sua tecta vocavit,
Lætitiaque virum magna, plausuque recepit.
Vestinique mei pariter fecere volentes,
Castilionenses quoniam, qui signa tuentur,
Semper Aragonei, nec discessere rebelles
Regis ab affectu: cunctos hinc inde labantes
Ad soliti imperii populos vexilla per urbes
Magnanimi subito concordi voce citarunt.

Con-

Confinesque Urbes aliæ, totusque Vomani
Accola, & Aterni quicunque est accola ripæ,
Ad fidei faciles redierunt jura relictæ.
Post a Pelignis misso præcone vocatus,
Nasonis patriam nostra ad vexilla reduxit.
At quoniam Aprutii volucrum Regina sub alis
Una quatit reliquos populos, hic parte relicta
Gentis, abit prudens subito, gratusque per omnes
Albenses intrat populos, recipitque Petrosam,
Quam dixere, puto, geminis a cotibus urbem.
His igitur populis ullo sine Marte receptis,
Atque ex Pelignis revocato milite aquosis,
Protinus invadens Aquilanum pergit in agrum,
Instructasque acies Medianam sistit ad arcem:
Hic ubi constiterat multo numerosior hostis,
Cum quo victrices multis gens nostra diebus
Conseruitque manus, atque aspera prælia fecit.
  Junxerat interea qui se Montorius ante
Fabricio, populos alia de parte propinquos
Vexat, & aggreditur totum castella per agrum,
Si qua negant signis portarum limina nostris.
Cantelmusque suos Populenses, hoste fugato,
Imperiumque vigil nocturno Marte recepit.
Sic Æquis nostræ fidei, Marsisque reversis,
Restabat tantum, quæ jam præbebat asylum
Hostibus admissis volucrum Regina fugatis;
Cujus ubi populum præviderat ire labentem,
Nocte Severinus secessit ab urbe Fracassa,
Partibus a Gallis qui tunc ea bella gerebat:
Bellipotens, prolesque patris generosa Roberti.
Sed quid tunc poterat, quum sidera, pontus, & æther,
Terraque Aragoneos resonarent undique Reges?
Sic Aquila, ad gelidas quæ se converterat Alpes,
Ad nos cum læto mutata favore reversa est.
  Mittitur ad nostros animosa Columna Ducales
Julius, ut revocet: læti rediere repente,
Gens Aragonensi semper gratissima Regno,
Atque super cunctos perquam dilecta fideles.
Non est Cantalycos opus hic memorare leones,
Quos Aragonenses cœlum, & natura creavit.

Hos ego cur dicam nostra ad vexilla reversos,
A quibus unanimes nunquam cessere rebelles?
Fugerunt Reges Regnis, sceptrisque relictis,
Mansit Cantalycis tamen omni tempore nostris
Intemerata fides: referat Campania tota
Tecta novis dominis, Gallorum pressa timore,
Inclita Parthenope vocat intra mœnia Regem,
Vera fides Calabros non est servata per omnes
Pauca in Aragoneos gens credidit Appula Reges,
Intra nulla fides Regnum, nisi nostra remansit:
Non urbes aliquæ, non oppida fida, nec arces,
Præter Cantalyci fidissima tecta popelli.
O patria, o veræ fidei firmissima sedes!
Tu quoque Aragoneæ custos studiose Coronæ
Ad veteres dominos subito, Martine, redisti,
Quem vicina tulit nobis connexa propinquum,
Clarior est gelidis quo nemo in montibus illis,
Aut aliquis nostræ constantior assecla partis:
Inclita tu quamvis semper vexilla sequutus,
Illius a studio nunquam mutatus abisti:
Aprutii postquam Provincia tota quievit,
Hispanæque Aquilæ victricia signa per omnes
Extulerant populos, collecto milite victor
Ipse sui imperii populos, arcesque revisit,
Carseolosque suos, donec Dux Magnus abire
Jussit, & ad fauces illum properare Casinas.
Interea Dux noster iter, Martemque sequutus,
Cajetam mox ire parat, quo Gallia tota
Se tulerat, passis vix sustentata ruinis.
Sed prius aggreditur Montem, rupesque Casinas,
Quem cœli immemores, & religionis inertes,
Et penitus tanti Divi ratione neglecta,
Oppressum Senones spreta pietate profani,
Atque instar stabuli Cænobia sancta tenebant.
Illicet invasi veniunt ad pacta, petuntque,
Ut si intra spacium certorum missa dierum
Subsidia haud veniant, capiant sibi protinus Arces.
Pro quibus accepto Magnus Dux obside castra
Hinc movet, Artuso Regni hac in parte relicto,
Quem jubet illius curam regionis habere.

Ipse

Ipse autem elatis sua colligit agmina signis,
Fregellasque petit, Pontem quem patria Corvum
Turba vocat, vocis secors ignara vetustæ.
Hac ubi transgressus, sibi copulat altera castra,
Illa Columnensis illic, quæ clara tenebat
Prosperitas, necnon cui Mars dedit arma severus,
Thermulus Andreas, Alfonsi verus alumnus.
Queis ita conjunctis, Phœbus Dux Magnus Eous
Quum primum illuxit, Gulielmam vasit in Arcem,
Ad juga quam subito Gallo fugiente reduxit,
Præsidiique locat vires; mox inde profectus,
Cajetam oppugnat, quamquam custode potenti
Se tenet, & nostris triplici de parte resistit,
Ductorum ingenti numero munita, Ducumque,
Sulphuris atque frequens ictus jaculata minaces.
Attamen Hispanus molitur scandere muros,
Obsessamque urbem parat expugnare potenti
Pectore, vel claros animam expirare per actus.
Fit Sacramentalis confessio, singula fiunt
Testamenta viris, ne si vixisse negetur
Culpam inconfessi, tetrum mittantur ad Orcum.
Dum tam lethiferis opponere pectora bellis
Magna parant, vox est acies audita per omnes:
Parcite pugnare, & convertite signa retrorsum.
Seu vox mortalis fuerit, sive illa Deorum,
Nondum comperta est, & adhuc incognita restat.
Talibus admonitis Dux noster, castra retrorsum
Nostra parumper agit, capti qui tecta suburbi
Depopulatus erat, & primo Marte penates;
Ugo ubi bombifero cecidit Cardonius ictu,
Gente miser nostra sic deploratus ab omni,
Ut Bruum veteres deploravere Quirites,
Pro patria asserta quem conspexere jacentem.
Præcipue Dux ipse pius deflevit ademptum
Præter vota virum, præque omnibus unice amatum.
Jamque apud Inarimen nuper quæ nostra peribat,
Libera classis erat, Gallorum nanque carinæ
Cajetæ auxilium tulerant, quæ cincta potenti
Milite sic fuerat, quod si non deerat ad usum,
Ferre minus nostræ quam tunc potuere triremes,

Machina, Cajetæ tunc conſumata fuiſſent
Prælia, & evicti tanto ſine ſanguine muri.
Sed quod ad obſeſſos pelago venere recentes
Suppetiæ interea, paulum cedentia noſtri
Caſtra Molæ fixere Ducis vexilla parumper.
Hoſtibus hic nunquam dum conceſſura morantur,
Perfidiæ ſolito Senonum ſtudioſa furore
Inſidias Arx arte ſua Gulielma paravit;
Nanque Duci præter quamquam reſeraſſet eunti
Limina portarum nuper, Galloſque fugaſſet,
Auſa eſt præfectum fallax tractare necandum
Triſtanum Cugnam, quo nemo fidelior alter,
Qui celebri de gente ſatus, virtute ſuorum
Inſigni haud voluit tunc degenerare parentum;
Quem modo præteriens Dux Magnus in Arce locarat.
Clamque igitur ſociis ſceleris de nocte vocatis,
De grege Gallorum, qui Cajetana tenebant
Mœnia, Triſtanum capiunt; ſed protinus Arcem
Dum prenſare parant, defenſa eſt illa feroci
Pectore tanto trium, facinus fruſtrata malignum.
Quod ſcelus ut noſtri Magni Ducis attigit aures,
Ocyus ire ſuum Navarrum ex tempore juſſit,
Ulturum inſidias invicto Marte nefandas.
Qui de more ſuo cum primum venit ad hoſtem,
Ingruit, & reparat, fuerant quæ perdita, cæſis
Hoſtibus, & propter pœnas dare facta coactis.
Additur huic etiam poſt multo gloria major
Altera: vos etiam precor, hanc memorate Camœnæ;
Nanque manus Senonum, facinus quæ tale peregit,
Perfidiæ vindex prius ac Navarrus adeſſet,
Præſidio gentes alias, atque arma vocarat.
Quæ rerum ignaræ, dum jam ad reparata venirent
Omnia, proſpecto præter ſpem milite noſtro,
Retraxere pedem, ſimul & turpiſſima præbent
Terga fugæ; veluti qui ſilvis nocte viator
Carpebat ſecurus iter, ſi forte latrones
Proſpicit occultos, calcem celer inſtruit alis,
Et fugit in præceps quaqua fert impetus illum.
Sed dum ſic tutos fore ſe fugiendo putarunt,
Ex Scylla in mediam ſe contruſere Charybdim;

Bar-

Barbara gens quoniam quum confugiſſet ad Itrum,
Tota ibi, non ullo ſervato, præda remanſit,
Fœminea detenta manu: proh dedecus, omni
Morte quidem pejus, & non delenda cicatrix!
Sic dum noſtra Molæ victricia caſtra morantur,
Atque inſigne ferox perpeſſa eſt Gallia probrum,
In Cajetano claſſis ſe Gallica portu,
Noſtra Molæ partim, partim ſe tuta tenebat
Parthenope, major multoque valentior illa;
Atque aliquantiſper Bellona quierat utrinque.
Interea ſuperi Cœli qui clauſtra tenebat,
Et Vaticani mundum terrebat ab arce,
Sextus Alexander vitales reddidit auras.
Quo functo, Italiæ facies mutata repente,
Mutatique animi, mutataque Regna, ſuaſque
Mutavit fortuna vices; Dominique repulſi,
Ultra Sarmaticas quos ille ejecerat oras,
In Regnum rediere ſuum. Nam Borgia Cæſar,
Cujus adhuc vires orbis latus omne paveſcit,
Quum male tunc ſubita correptus febre jaceret,
Siſtere non potuit tantarum pondera rerum.
Cinxerat ille tamen florentibus undique caſtris,
Et Vaticanum ſic Sede Vacante tenebat,
Ut non Cardineus Conclave ſubire Senatus,
Et non auderet ſolito de more creare
Paſtorem Eccleſiæ, niſi cederet Urbe relicta
Ille prius ſancta, tota cum gente decora,
Militiaque ſua, cui par non ulla poteſtas
Tunc erat. Impediat qui ne ſuffragia ſacra,
Mollitus precibus, Nepeſinam ceſſit ad urbem,
Atque animi dubius illic ſua caſtra locavit.
Donec Apoſtolica non diſcordante Minerva,
Ille Pius vere cepit diadema Senenſis;
Auſpice qui tantum fati brevitate creatus,
Quanta erat, haud potuit Paſtor pietate nitere,
Nam clauſurus erat reſerati templa Quirini:
Nec poterant aliter tam ferrea tempora, vera
Quam pietate mori: jacuit, non ſedit in alta
Sede, in qua Lunæ nondum compleverat annum:
Sed tamen ante diem quam clauderet ille dolendum,

Com-

Communi assensu sacrosancti, & voce Senatus
Borgia Cæsar erat tota cum gente reversus.
Dii melius, sed enim Roma si forte relicta,
Flaminiæ imperium totæ cum gente petisset,
Quam sibi devotam fido custode tenebat,
Catholici Regis vel si vexilla subisset.
Morte Pii cæpit sanctum diadema Secundus,
Et suis ornabant titulis quem Vincula Petri,
Ferique per auriferas Saturnia tempora glandes.
Hoc itaque assumpto, vario quum scinderet hamo
Pectora, confusus variarum turbine rerum,
Ultro militibus veniam concessit, ut irent,
Esset quo libitum, cunctis mercede soluta
Largiter, ut solitus fuerat tractare decoram
Militiam, gratæ lætatus nomine dextræ.
Ocyus Hispani, postquam concessa potestas
Pergere quo vellent, Ducis ad tentoria Magni
Cuncti abiere Duces, Ducibus queis Borgia Cæsar
Usus erat semper magnis in rebus agendis,
Et quorum imperio fuerat virtute potitus.
Ex his primus erat noster Moncatius Ugo,
Lux patriæ, & juvenum, quoscunque Valentia terra
Protulit; atque mei domini sobrinus, honore
Cardineo quem Roma colit, cingitque decorum
Purpura læta caput, frontemque merentis obumbrat:
Magnanima hic ardens equitum comitante cohorte,
Ibat equo, similis illi, quem flectere quondam
Sola parens potuit, premeret quum Marte Quirites:
Strenuus, ac forma præ cunctis splendidus, atque
Limpidus ore nitens, qualis quum mane sereno
Lucifer ortus adest, vel qualis Cynthia claro
Signa minora suo desuscat cætera vultu.
Pontificum cujus quondam generosa propago
Nobilitavit avos, titulisque ingentibus auxit:
Nunc Calabros placida populos ditione gubernat.
Inde sacrum nomen qui gestat Olorius, atque
Præsulis Helnensis germanus frater abibat,
Non minor ingenio, quam pectore strenuus alto:
Germano æqualis, pariter si forsitan ipse
Tempora purpureo gestaret compta galero.

Quod

Quod non ignorans Sextus, nec Borgia Cæsar,
Magnus uterque virum meritis provexit utrumque,
Nec minus a Magno Duce nunc veneratur uterque.
His quoque conjunctus Franciscus Massa petebat
Magni castra Ducis, vexillaque Martis Iberi;
Magna sagittiferum cui vis parebat equorum,
Cui vires, animique pares, cui pectus, & astus
Ingenii, cui vera fides, & recta voluntas.
Cumque hoc magnanimus Loisius agmine Discar,
Castrensisque Petrus, duo qui fortissima belli
Pectora, Catholici Regis simul arma petebant,
Et Duce pro Magno prompti deponere vitam.
Immo etiam exilium nuper perpessa nefandum,
Ad patrios tandem tunc tunc revocata Quirites,
Inclita Parrhasia, quæ nomen sumpsit ab Ursa,
Nescio, quo fato Belgarum signa sequuta;
Stirps ad Aragoneos veteres conversa redivit.
Gallus, ut ereptum sibi viderat undique Regnum,
Cajetamque Duci non posse resistere nostro,
Insubres, Ligurésque simul, simul armat Etruscos,
Estensesque Duces, necnon cui Felsina paret,
Bentivolum, magni Populi, nummique potentem:
Armat & Andinos, quorum Gonzaga creatus
Dux erat, illustris, ac sanguinis alta propago.
Quo tamen instinctu, dic o Gradive severe,
(Nec pudeat quæso) quo jure, aut lege, vel arte
Debuit in Regnum, quod jam defenderat ante,
Sanguinis ire sui? non est in gentibus ullis
Tuta fides, non stant consanguinitatis amores.
His igitur contra collectis gentibus, ille
Cajetam molitur iter, spe ductus, ut illam
Non solum auxilio foveat, sed luce sequenti
Parthenopes media victor cœnaret in Arce,
Fatidicæ Mantus frustra confisus in arte,
Unde vetus nomen tibi, Mantua, tradidit Ocnus:
Inscius Hispanas multo meliora per artes,
Bella movere Ducem, melioraque prælia Magnum.
Qui nova cum primum persentit castra moveri,
Atque in se gentis tot millia credit itura,
Talibus ad socios exultans vocibus inquit:

O so-

O focii, tandem jubeo ſperare laborum
Ultima: bella ferox, hydreaque germina monſtri
En renovat Gallus, ac mortua corpora vitæ
Reddere forte parat. Sed nos ad prælia laudis
Æternæ celeremus iter: ferat obvius hoſtis
Pectora, Dii faciant, nec quod mens cernit, & optat,
Fata negent: feret ecce novas Hiſpania laudes.
Hæc ubi fatus erat, juſſit vexilla levari,
Deſeruitque Molam ſubito, repetitque Caſinas
Magnanimus fauces, ſanctique cacumina montis,
Quem modo conceſſa ſub conditione ſubactum
Liquerat. O Cœli miracula ſancta ſuperni,
Atque ibi qui colitur, Divi vindicta beati!
Nanque fidem dederat Gallus, qui tecta tenebat,
Ceſſurum, paucis illinc niſi forte diebus
Suppetiæ veniant; ſed fraudibus uſa, doliſque
Impia gens ſanctas tanti violaverat aras
Numinis, & tacita ſub proditione manebat.
Ergo expugnato quamprimum monte, furenti
Enſe cadunt Senones capti, meritaſque profani
Dant fractæ fidei pœnas immaniter Orco.
Inde locum caſtris ſtatuit, Martemque decorum,
Venturoſque hoſtes ex tota mente moratur.
Junxerat Andinas jam Dux Gonzaga cohortes,
Etruſcaſque acies equitum, Ligurumque catervas,
Teutonicaſque manus Gallis, quibus una fugatis
Cajeta hoſpitii tantum præſtabat aſylum.
Ergo focillatis animis, armiſque reſumptis,
Optatoque novi Ducis exaltata favore,
Celtica turba furit, renovataque caſtra reſarcit,
Et conjuncta Ducem contra movet agmina Magnum:
Atque Arcem in primis oppugnant ordine Siccam,
Præſidio quam Hiſpana manus, Martiſque per artes
Prompta tuebatur; ſed Gallia Marte ſiniſtro,
Proque ſuis meritis adverſo numine Divum;
Auguriiſque malis, accepta clade nefanda
Turpiter incœpto noctu fruſtrata receſſit.
Mox hinc ad patriam noſtri Juvenalis, Aquinum
Deveniunt, figuntque pedem, ſiſtuntque parumper
Caſtra Duces Galli, jamjam quos fama ferebat

Per-

Pertentaturos fauces penetrare Casinas,
Atque urgere Ducem nostrum dare terga sub Indos.
Ille sed invictus non solum ad bella moratur,
Sponte sed ad pugnam misso præcone vocavit.
At trepidus Gallus renuit, pugnamque recusat
Territus, & subito convertit castra retrorsum.
Quæ per Fregellas ubi mox transgressa fuere,
Venere ad Fundos, necnon ubi dulcia Liris
Nocte, dieque suæ complectitur ora Marsicæ:
Scilicet illac se pariter transire putantes
Parthenopen versus, sceptrumque resumere Regni,
Atque Ducem Magnum mediis concludere belli
Fluctibus, & victum partis spoliare triumphis.
Sed spes falsa fuit, votum quoque Martis inane;
Illa quod indomito loca milite tuta tenebant,
Servabantque suo solito de more fideles,
Fabricius præclara gerens vexilla Columnæ,
Et qui Pacis habet nomen, victricia semper
Bella parans, animoque ferox, creberrima Gallis
Pernicies, Magnique Ducis gratissimus armis.
Ipse etiam Dux Magnus ea regione relicta,
Advolat, & magno ducens sua castra viarum
Circuitu, se illis conjunxit, & omnia citra
Contra hostem fluvii sua collocat agmina ripas,
Bombifer interea creber resonabat utrinque
Terror, & assidua quassabat castra ruina.
Stat Turris munita loco, muroque tenaci
Ardua, finitimi despectans fluminis undas,
Impositus custos quam conservabat Iberus.
Hanc cum præsidio Senones cepere subactam,
Deditione famis magis, an formidine victam.
At vero Hispani cedentes Arce relicta,
Turpiter admissi pacem, veniamque precantes
Confugiunt ad castra Ducis, culpamque fatentur,
Illam expurgantes, tanquam timuisse coacti.
Jamque Ducis veniam dederat clementia Magni;
Sed retinere manus clemens, ac tela suorum
Non potuit, quin illa daret sub vindice pœnas
Fœda manus juvenum, quæ sic defecerat omnis;
Usque adeo infandum facinus, crimenque putatur

L Sic

Sic apud Hispanos Martis sine nomine vinci.
Maximus interea torquebat gentis utrinque
Regia castra labor, rerumque premebat egestas.
Nostra magis multo, quibus excessere frequentes,
Quos prædura fames, rabiesque coegit edendi
Cedere, vel saltem Cererem sibi quærere fessis.
Viderat ut Magnus vix jam durare cohortes,
Posseque nec tantos, & tot sufferre labores,
Concilium vocat, & socios de more coactos
Talibus alloquitur: quænam sententia vobis,
O Socii, clarique Duces, num gressibus ultra,
An nos retro pedem ferimus? manifesta pericla
Sunt prope: magna simul, nobisque æterna paratur
Gloria, si virtus vili non vestra timori
Cedat, & occumbat: mihi Mars sit testis, & illa
Diva, patris medio quam dicunt vertice natam,
Aut ego Liriacis victus tumulabor arenis,
Aut prius ac pleno coeat sibi Cynthia cornu,
Ipsa etiam venies nostris, Cajeta, sub armis.
Dixerat; ast alii titubantes undique mussant,
Subdubitantque Duces, quod dura urgeret egestas,
Quodque forent tanti manifesta pericula belli,
Censentes satius, gressum convertere retro,
Et mutare locum, sedes quo tutior esset.
Ille autem, quo nemo fuit prudentior unquam,
Majorisque animi, nec Martis in ordine major,
Magnanimo rursus hanc fundit ab ore loquelam.
Magna quidem in rebus, fateor, prudentia vestra est,
At diversa mihi nunc stat sententia cordi.
Ulterius malim nostri pro parte sepulcri
Passibus ire tribus, quam cedens vertere terga,
Annosamque senis Pylii superare senectam.
Cæsaris o dignam Romani pectore vocem!
Illius aut totus cui non suffecerat orbis!
Illius aut vitam cui sustulit annulus ille,
Unicus absorpti Romani sanguinis ultor!
O Ducis invicti nostri constantia! qualis
Illa Leonidæ fuerat præclara Laconis,
Impia quum Xerxis jam civibus arma trecentis
Strenuus obtinuit; sed quum se exinde videret

De-

Deceptum a populis, nec posse evadere mortem,
Oppetere exoptans potius, quam castra movere
Inde, ubi jussus erat patriæ per jussa manere:
Prandete, o socii, non segni pectore dixit,
Post apud infernum concœnatura juventus.
Urgerent nostros dum sic discrimina rerum,
Et teritur tempus dum consultando, paratur
Transitus a Gallis, confecto ponte per amnem.
Illicet occurrit illis, atque agmina contra
Dux bonus opponit, decus immortale Columnæ
Fabricium emittens castris, properantibus armis,
Ductoresque alios, & te, Morimine, decoræ
Parthenopes speculum, necnon fidissime custos
Gentis Aragoneæ, qui nulla pericula vitans
Pugnasti toties cunctis pro Regibus illis
Egregiæ quorum fueras virtutis alumnus,
Et nunc pugnanti percussit sæva lacertum
Machina, quum stricti capulum procul abstulit ensis.
Affuit e nostro trepidans ex agmine miles,
Gallorum referens jam trajecisse catervas.
Cui Dux Magnus ait: parcas o quæso timorem
Incussisse mihi, quum sis tu fortis, & audens.
Non potuit melius pectus firmare timentis,
Deque suis castris vilem ejecisse pavorem.
Cinxerat oppositas Gallorum plurima ripas
Machina, tormenti dense, longeque sedebat
Trans fluvium contra nostros genus omne paratum.
Sederat hic ferri, quantum non protulit Ilva,
Et quantum Temese nec protulit hausta metalli,
Nec Brontis quantum ferientis dextra laborat.
Hæc ita terrificis pulsabant æthera flammis,
Crederet ut tellus, congesta mole superbos
Affectare iterum Jovis atria celsa Gigantes.
His igitur freti Galli, patrioque furore
Adnixi, capiunt pontem, Martemque sequuntur,
Transque ipsum celeres stricto mucrone feruntur,
Hispanasque manus correpta per arva trucidant.
Dum videt Andinus nostros Gonsaga fugari,
Dixerat ad Gallos: hi sunt qui Gallica fortes
Vincere castra solent: o magna ignavia gentis!

At nostri unanimes acies Ducis agmine magno
Rejectos hostes animoso Marte repellunt,
Expugnantque feros Gallos, partemque trucidant,
Pars in profluvium subjecti mergitur amnis.
Tunc sic Gallus ait, modo quem Gonsaga rogarat:
Hi sunt qui Regno modo nos, Gonsaga, fugarunt.
Quin etiam Hispani fluvium transire natantes
Ausi, exportabant Gallorum ex agmine prædas,
Nostraque captivos multos in castra trahebant.
Frustrati incœpto Divorum numine Celtæ,
Transire extructum pontem non amplius ausi,
Fortunam expectant, intra se castra tenentes,
Et sua sic fusi meditantes linquere castra.
Dux igitur noster cernens sibi tempus adesse
Tempora vincendi, quod non successerat hosti,
Tentare aggreditur, sibi num fortuna negasset:
Scilicet imposito fluvium transire Maricæ
Ponte super, mediosque acer penetrare per hostes,
Hisque manum extremam, finemque imponere rebus;
Quamvis addubitent socii, multasque morandi
Innectant causas, & aperta pericla recusent.
Ecce autem palmæ ne quid Bellona futuræ
Deneget, atque favor ne deneget ora favori,
Adsunt Ursinæ clara de gente decoræ
Regis Aragonei repetentes castra cohortes.
Quarum militiæ fulmen Microcosmus, honorque
Dux Livianus erat, populorum terror, & aura,
Ingenio haud major, quam viribus omnia vincens,
Atque moræ impatiens; qualis jam ad claustra Metauri
Claudius Asdrubalem simul, & collega superbum
Germano auxilium detruncavere ferentem.
Pone sequebatur, galeæ cui cona terebant
Nondum vestitas tenera lanugine malas,
Ursinus Fabius, similis quos abstulit omnes
Fortiter una dies, vel quem voluere paterna
Jussa mori, injussus quoniam devicerat hostem.
Quem nisi sorte mala rapuissent impia fata,
Marte futurus erat nulli virtute secundus.
Heu crudele nefas, Lirisque invisa fluenta!
Plus uno in Fabio conjux formose Maricæ

Con-

Contrahis invidiæ, Cremeræ quam ripa trecentis.
Inde ſuos equites ducens, ſimul arma ferebat
Illius proles animoſa Petilus Urſæ,
Quæ nunquam occiduis celſum caput abluit undis,
Et nunc magnanimo prudens temone gubernat
Militiam Urſino Veneti ſub Marte Senatus.
Nec minus egregiis ibat ſpectandus in armis
Francottus juvenis, pariter præclara ſuorum
Progenies, geſtans ſplendentia ſigna roſarum,
Invictumque animo pectus, moreſque viriles,
Urſinæque domus veterum lux clara parentum.
Hinc & Agillinæ Princeps fortiſſimus urbis,
Victrices faciunt merito cui nomina Lauri,
Gallica delectam ducebat in arma cohortem.
Strenuus inde etiam ſub ſigna Vitellius ibat,
Tota Tiſernatum cui gens addicta regenti
Obſequitur, paretque libens, germanus adempti
Illius, extinctum quem nondum Terra timere
Undique, nec pelagus, nec totus deſinit Orbis.
Excipit hanc gentem Dux Magnus fronte ſerena,
Certior effectus cum tanto milite palmæ.
Eſt locus ad Lauros ibi, quem ratione probata
Indigenæ appellant. Tota cum gente profecta
Hic magnum contra Microcoſmum collocat hoſtem,
Conſiliumque aperit, ſe jam ſtatuiſſe per undas
Ponte ſuperſtructo trepidos penetrare per hoſtes.
Ocyus ille loci lætus capit omen, & inquit:
Summe Ducum, qui cuncta vides ex omnibus unus,
Noſter ad hoc bellum nobis fit fortior hoſtis
Jugiter, & creſcit; majoraque caſtra reſarcit.
Ipſe nec ignoras, quantum nos preſſet egeſtas;
Noſtraque ſe minuant defeſſo milite caſtra.
Hic ſi forte magis mora jam nos longa tenebit,
Vel ſi caſtra retro convertimus, omnia retro
Et nobis ibunt; at ſi tranſibimus amnem,
Hoſtis terga fugæ dabit, & Cajeta reducet
Ad tua ſceptra manus. Igitur laudoque proboque:
Conſilium, Dux Magne, tuum: procul omnis abeſto
Jam mora, nam cernes breviter, mihi crede, quod optas.
Subdubitant, pavitantque Duces: pars caſtra retrorſum

Con-

Convertenda ferunt, pars illa in ſede morandum,
Pars ad Parthenopen, pars conſulit ire Sueſſam.
At quibus in rebus mens eſt præſaga futuri,
Caraſus Andreas, acies cui plenior Argo eſt,
Dantque Severinæ titulos cognomina Sanctæ,
Semper Aragonei verus ſectator honoris,
Et foris, atque domi cujus prudentia mira eſt;
Et qui tam celebris gaudet cognomine Tuſi,
Et veluti pelagi rupes immota procellis
Obſtat, & adverſis non inclinatur ab Euris,
Preſſus Aragonei tot Regni fluctibus annos,
Propoſito nunquam fidei diſceſſit ab alto,
Juſtitiæ columen firmum, cuſtoſque decori,
Integra pernicies ſcelerum, vindexque ſeverus
Perfidiæ, rigidique tenax ſervator honeſti,
Dicta Microcoſmi pariter laudantque probantque,
Atque Ducem Magnum cohortantur talibus auſis.
Id vero ante omnes hortatur noſter & urget,
Pectore nil cujus tam fido in pectore vivit
Præter Aragoneos, ſolers Bernaudus, & inſtat,
Tranſitus ut fiat, nullo remorante pavore;
Pro meritis quem nulla latent ſecreta, nec unquam
Intima Catholici latuerunt pectora Regis:
Arbitrio cujus toties Rex Magnus uterque
Hoc diſponendi Regnum commiſit habenas:
Nocte die facilis cujus facundia dextræ
Tot populos, genteſque regit, tot caſtra, tot urbes,
Atque Duci noſtro ſic nunc comes unus adhæret,
Sicut erat Phrygio Regi jam junctus Achates.
  Ergo Microcoſmo fertur provincia pontis.
Dux inde afferri longe jubet ipſe carinas
Curribus appoſitis aptas, lapſuque rotarum.
Jam quibus advectis, mirandoque ordine junctis,
Imperat imponi miras tabulata per artes,
Subjectaſque amnis utrinque ut comprimat undas,
Ponteque conſternat: qualem ſuper æquora Xerſes
Extruxit, Rhodani vel quali Julius undas
Cinxerat, has gentes debellaturus eaſdem.
Poſt ubi jam fuerat moles fabricata ſuperbi
Pontis, & ad Gallos jam ſpem dabat altera ripa,

Ocyus

Ocyus ipse suo statuit Dux jungere Magnus
Castra Microcosmo, simul & de more fidelem
Bernaudum alloquitur: Soleo si dicere verum
Semper, & illud idem tibi nunc, Bernaude, fatebor.
Cunctipotens nobis nisi deneget ille favorem,
Neinpe dies terras nondum bisdena subibit,
Mœnia sub nostro quum Cajetana videbis
Imperio, & Celtas convertere terga per Alpes.
Dixerat, & tolli jussit vexilla, movetque
Castra Microcosmum versus: ruit arduus æther
Nubibus imbriferis, priscásque ferentibus Austris
Deucalionis aquas: resonant quoque grandinis iræ,
Condensumque cadit nivium per inania vellus.
Convertit Dux Magnus iter, miseratus euntes,
Diluvies quoniam torrentibus undique nostros
Sæva retardabat, fossisque retenta peribat
Pleraque pars gentis, pars apparente periclo
Fessa recedebat, jussitque redire Suessam.
Ex quo fama fuit, Magnum formidine captum
Vertere terga Ducem, timidis nec fidere rebus.
Atque ideo Olvetum motum hoc rumore rebellat,
Regis erat cui nulla fides in pectore nostri.
Mittitur ad pœnas animosa Columna rebellis
Fabricius gentis, simul & Rosa protinus ille
Strenuus Alfonsus, cui mille in pectore Martes,
Mille astus, parvo vires in corpore magnæ,
Consilio cujus, Cæsarque fidelibus armis
Borgia jam felix Populonia mœnia cepit.
Qui simul ad gentem quum pervenere rebellem,
Expugnant, prædæque simul dant mobile vulgus,
Inde Ducis pariter repetunt tentoria nostri.
Gens ubi præcepit fabricatum Celtica pontem,
Riserat inceptum magnis concussa cachinnis,
Ponte nec ausuros transire putabat Iberos,
Atque ita trans fluvium castris secura moratur.
Hostibus at Magnus, quem vertere terga ferebant,
Tandem exoptati Microcosmi castra petivit,
Seque illi adjunxit toto cum robore gentis.
Qui simul advenit, pontem jubet ocyus undis
Fluminis aptari deductum, ac talia fatur:

Ni

Ni mihi vestra foret per tanta pericula Martis,
Notaque jam virtus per tot perspecta labores,
Talia non ausim vobiscum incœpta, fideles
Suscipere, o Socii; sed res nulla ardua tantum,
Nec tam difficilis, tam dura, nec aspera tantum,
Seu sit opus pelagi, seu sit telluris agendum,
Quin factu facilem sperem, credamque futuram;
Vestra mihi in mentem veniunt cum facta, animosque
Dum repeto vestros, per quos superavimus hostem,
Stravimus & nostris, fuerint quicunque, sub armis.
Temporis, o fortes, memores estote peracti,
Hoc ego quum vobis Regnum auxiliantibus unus,
Nondum sexta suas complevit messis aristas,
Faucibus eripui Senonum, Regnisque paternis
Restitui ejectos juvenes, sceptrumque recepi
Parthenopes, nostri Regis tutatus honores;
Necnon & gentes quum Bætica Regna profanas,
Sævaque Catholico renovantes bella repressi;
Quumque Cephalonios animoso pectore muros,
Et Maumetheos quum debellavimus hostes,
Et Calabros toties nobis fera bella moventes.
Mœnia quid noctu dicam expugnata Laini,
Totque Duces pariter vigilanti milite captos?
Diraque quum Baruli quamvis urgeret egestas,
Duximus obsessi varios ex hoste triumphos.
Aspra Cirignolæ referam quid prælia? per quæ
Tartareas toties pugnantes vidimus umbras.
Circa difficiles versantur præmia causas,
Nulla est in levibus vincendi gloria rebus.
Est hoc difficili bellum cum gente gerendum,
Nostraque non dubiis se objectat dextra periclis.
Has vero unanimes nos si transibimus undas,
Non via sufficiet Gallis fugientibus ulla,
Non celeres calces, rapidus nec cursus equorum.
Quare agite, o socii, pontem jam scandite læti,
Virtutis memores vestræ, cunctique timorem
Magnanimis pariter vilem depellite fibris.
Dixerat. Accingunt socii simul ocyus omnes:
Prima Microcosmi scandunt vexilla per amnem,
Quem sequitur generosa acies Ursina, potentes

Cor-

Corde gerens animos, & non cessura timori
Pectora militiæ, quamquam modo mœsta peremptum
Defleret juvenem, misero cui forte sagitta
Longius abstulerat transmissa per æthera frontem.
Inde manum ducens peditum Navarrus Iberam,
Transiit invicto conscendens pectore pontem,
Non modo magnanimo Gallos qui Marte solebat
Vincere, verum etiam victus pessundabat hostem.
Impiger hos sequitur, qui gestat pectore bellum,
Nomen Pacis habens, cui fusca Pyracmonis artus,
Et Brontis, Steropisque manus jam lassa labore,
Insulaque ignivomis finxit Liparea caminis.
Hi postquam audentes ripæ ulterioris ad oras
Evasere Duces, subito mora nulla feroces
Expugnant Sujum montem, capiuntque fugatis
Hostibus: ultra amnem fuit hæc victoria prima.
Inde Columnensis revocatur ab urbe Suessa
Dux, cui Prosperitas tribuit meritissima nomen.
Cui primum, ut venit, Dux Magnus protinus inquit:
I, recipe imperium fortis tibi, Prosper, ademptum:
Exilium fas est ipso te vindice tandem
Ulcisci, tua jura fove, cape lætus & ipse
Pontis iter, tua res agitur. Tunc ocyus ille
Jussa facit, pontemque subit, transitque volenter.
Dum manus ad pontem peditum furiosa ruebat,
Præteriens miles, Magni Ducis illa loquentis
Forte sagum traxit capulo mucronis adhærens.
Cur trahis? en venio, quo tu vis ire, libenter,
Dixit, & accepit dictis cum talibus omen.
Exin Teutonicæ veniunt fera turba catervæ,
Quas expectabat secum Dux Magnus ituras.
Jam quibus appulsis, partitoque ordine pontem
Ipse etiam transire parat, fibrisque reclusis,
Pectore de medio Divosque, Deasque precatur.
Vos, o Cælicolæ, sanctæ pietatis, & æqui
Custodes, verique patres, vos ora favete,
Si pia me semper tenuit reverentia recti,
Bellandi si justa mihi dat causa labores,
Atque mei Regis fas est si jura tueri,
Si pius & sumptis sum religiosus in armis,

Si me cuique ſuum juvat exhibuiſſe petenti,
Veraque de vobis ſi teſtamenta fatentur,
Quæ legimus, veſtris ſi thura imponimus aris;
Hunc precor incolumem vos me tranſmittere pontem,
Et ſinite oppoſitos ſalvum penetrare per hoſtes,
Et tandem optatæ victorem reddite palmæ.
Orat idem, tenditque ſuas ad ſidera ſupplex
Barbara turba manus, genibuſque inflexa precatur.
Finitis precibus, trans pontem exercitus omnis
Mittitur: ipſe ſuis pedibus ſubnixus, & haſtæ
Præterit ante omnes, pergitque decorus in hoſtem.
Ac primo Caſtrum vocitant quod nomine Forte,
Cum Sujo exuperant ſubito, Celtiſque repulſis,
Victor ibi vigili tranſegit pectore noctem.
Interea Ductor Fregellis forte revertens
Gallicus, immiſſis remeabat Alegrius alis,
Præſidii cauſa fuerat qui miſſus ad urbem.
Hoc ubi Dux Magnus præſenſerat, obvia mittit
Agmina, ut invadant, peditum; noctemque per ipſam
Ire jubet: vigilanſque manus tranſmiſſa moratur,
Expectatque ardens, venientemque opprimit hoſtem.
Invaſi Senones fugiunt hinc inde paventes.
Fit ſpolium, captoſque trahunt, pars capta retenta,
Cum Duce pars fugit noctis defenſa tenebris.
Immo etiam Hiſpanos quum jam tranſiſſe, per omnes
Fama fuit, Gallos, quos in ſtatione tenebant,
Diripiunt populi, ſpoliant, pelluntque, necantque;
Necnon Italici fuerant qui ſigna ſequuti
Gallica, ad Auſonios multi fugere penates.
Inde renaſcente primo Dux Magnus Eoo,
Caſtra movet, ſtatuens hoſtes invadere caſtris,
Invictaſque acies orditur, & explicat alas.
Sed fera barbaries caſtris perculſa relictis,
Ceſſerat, inque pedes dederat ſe tota repente,
Tranſgreſſu accepto, ſimul & tentoria cuncta
Cum tormentorum meliori parte relinquens:
Uſque adeo fugiens fuerat perterrita, partem
In mare, ne ſpoliis hoſtis potiretur, abegit;
Aſt alia multas implerant parte carinas,
Quarum de numero fluvio pars capta retenta eſt,

Pars

Pars cum remigibus periit demersa sub undis.
Tu quoque quos inter, dum per vada Liris abisti,
Petre jaces Medices, Duce quo male recta sub uno
Cosmica progenies, nulli toto Orbe secunda,
Tantarum cecidit celso de culmine rerum.
Nam si dum Rhodanus torrentis sparserat undas,
Claustra Fluentinæ clausisses providus urbis,
Majorum imperium cum nobilitate teneres,
Nec sic Campanis nunc piscibus esca jaceres.
Ipse pedetentim fugientem victor in hostem
Intendit Dux Magnus iter, lætusque fideles
Hortatur socios, Cajetæ mœnia versus
Convertens oculos; jamjam victoria palmam
Porrigit, o socii, fas est distendere pectus
Lætitia: secura quies, mercesque propinquat.
At dum magnanimus Microcosmus, & alta Columnæ
Prosperitas, Martemque omnem qui pectore gestat,
Pacius, in Gallos alia de parte feruntur,
Fluminis ad pontem, rapida quod labitur unda,
Deveniunt, ubi magna manus simul agmine facto
Constiterant hostes, fluvium, pontemque tenentes.
Incipitur magnus pugnæ conflictus utrinque,
Hinc quoniam pontem, fluviique repagula nostri
Expugnare parant; illinc fera turba repugnans,
Fortiter obsistit, sævitque cruoris amatrix.
Hispani, Gallique cadunt, non parva micantum
Portio, nostra licet fuit hæc victoria tandem.
Res haud mira tamen, nam quæ non vinceret arma
Prosperitas, quæ signa gerit tam firma Columnæ,
Atque Microcosmus, cui par non ulla virorum
Dexteritas? primo quorum mucrone repressus
Hostis, ab obsessi pontis statione recessit.
Lux peditum juvenis, necnon & Pacius alter
Carolus, Hispanos inter non parva maniplos
Gloria, Chaonias veluti qui falco columbas
Territat, & timidas pedibus circumvenit uncis,
Insequitur, cogitque hostem sibi vertere terga.
Hic etiam Libyco similis Scalata Leoni,
Miscuit invictæ memorandus prælia dextræ.
Non minor hos inter Gulielmus Tacca per hostes

Ingruit, atque vias pontis reſeravit opertas,
Disjecitque hoſtes frendens, ut dente latrantes
Marſus aper ſilvis ſolet exagitare Moloſſos:
A Sicula veniens juvenis tellure, ſatuſque
Gente Syracuſia, ſimilis qui ad bella Ticini
Scipiadem eripuit victore ex hoſte parentem.
Hortari interea reliquos dum pergit, ut adſint,
Ipſe ſuos Magnus Dux, & ſectentur honores,
Fama Molæ fixiſſe pedem denunciat hoſtem,
Atque ibi jam noſtros valida ſtatione morari,
Molirique novam revocato milite pugnam.
Ire Molam ſtatuit converſo milite, & illuc
Mox acies ducit, quamquam tunc Jupiter imbres
Mitteret, & crebro quateretur murmure Cœlum.
Dumque equitat, cecidit madefacta per æquora terræ
Illius ſonipes: tellus nos diligit ecce,
Sic ait amplectens, ſocii gaudete, benignas
Continuat Bellona vices. Sic fatus, eumdem
Incolumis conſcendit equum, lætuſque reſurgit.
Et munire Molæ quum mœnia cerneret hoſtem,
Atque ibi victa prius rurſus componere caſtra,
Providus Hiſpanas peditum jubet ire phalanges,
Ut ſeſe opponant, montiſque per alta propinqui
Circumdent urbem, facilis ne detur ituro
Exitus ire vias hoſti, quem cedere portis
Non dubitat, noſtris & turpia terga daturum.
Quos ubi proſpiciunt Senones ex ordine euntes,
Quam prius Hiſpani capiant latus omne viarum,
In pedibus tantum miſeram poſuere ſalutem.
Fit timor, erumpunt portis fugitiva juventus
Gallica: concurrunt noſtri, fert obvia miles
Pectora pectoribus, pars maxima cæſa remanſit,
Pars abit in ſpolium; pauci evaſere, ſed illis
Sævus adhuc pectus quaſſat pavor undique mortis.
Tormentorum autem facta eſt quam maxima præda,
Munierant urbis Senones queis mœnia captæ.
At noſtra aſſidue fugientes agmina Celtas
Exagitant, capiunt, perimunt, perduntque, fugantque,
Donec Cajetæ ventum eſt ad tecta ſuburbi;
Et quæ de reliquis fueras ſervata rapinis,

Præ-

Præda etiam insignis tunc, Machina tota, fuisti.
Verum ibi quod nostris non pernoctare dabatur,
Gentis ob ingentem numerum, pluviasque frequentes,
Ipse Molam rediit desertam Magnus ad urbem,
Cum palma & præda, spoliisque refertus opimis.
Sed quoniam deerat cunctarum copia rerum,
Inde quod exilium Bacchusque Ceresque ferebant,
Noctem illam exegit jejunia ferre coactus.
Ut primum exortis radiis Matuta reversa est,
Luciferique dies surgens Oriente refulsit,
Mœnia Cajetæ mox expugnanda petuntur.
Galli ubi confectas acies videre, repente
Perculsæ pariter turmæ, trepidæque relinquunt
Orlandi indigenæ, quem appellant nomine Montem:
Aspra suos toties ubi jam Bellona cruores
Sparserat, & sævis terram tepefecerat hastis.
Sed cur non tantas acies, vexilla, cohortes,
Et tantas equitum turmas, tantosque maniplos,
Totque alas, cuneosque simul, peditumque catervas,
Ductores, tantosque Duces, tot montibus æquos
Quadrupedes, celsas cristas, galeasque comantes,
Gallia ab Hispanis toties evicta timeret?
Monte igitur capto, mox exanimata fugatis
Pectore corda cadunt Gallis, animique protervi,
Deficiunt miseris vires, nervique, manusque,
Pactaque jam poscunt de deditione loquentes,
Qui vix Cajetæ muros, Arcemque tenebant:
Scilicet abjecto Monarcha furore Saluzus,
Et qui jam toties fugitarat Alegrius hostem,
Et qui Teutonicæ ductabat castra catervæ,
Bavilus, atque alii pariter non justa petentes.
Qui primum ut veniunt Ducis ad tentoria Magni,
Spe belli amissa, rerumque salute suarum,
Promittunt Urbem tandem se sponte daturos,
Cajetæque Arcem, sibi si captiva suorum
Reddatur non parva manus. Non abnegat ista
Magna Ducis pietas, sed quæ non justa petebant,
Omnia per fluctus ventis portanda recusat.
Atque die exacto, noctis venientibus umbris,
In montis medio concessit membra quieti.

Ma-

Mane autem exorto, repetit deterrita Magnum
Gallia pacta Ducem, nam rursus Alegrius idem
Justa magis primis rediens mandata reportat;
Obsidibusque datis, Urbis pro pace remissæ,
Reddendæque Arcis tandem defecta favore,
Gallia, captivos sic debellata recepit.
At si castra Ducis nummis non orba fuissent,
Gallia adhuc tenebris etiam detenta jaceres.
Sic itaque ad nostros tandem Cajeta reversa est,
Gallorum spoliis ex omni parte referta,
Argenti, atque auri, Cereris, Bacchique redundans,
Unde recedendi subito fit gratia victis:
Scilicet ut liceat spoliis abiisse relictis,
Et dare Tyrrhenas pavitantia vela per undas.
Pars igitur naves mox ascendere paratas,
Neptunoque animam demandavere profundo,
Pars cepit telluris iter, passimque per agros
Interiere fame, ferro pars cæsa cruentas
Implevere vias, pars intrat maxima Romam
Investes olidoque fimo, miserabile vulgus,
Squalentem vultum, nudataque terga recondens.
Heu quoties fueram plebem miseratus inertem,
Corpora cum Romæ sic tam miseranda viderem!
Sed meritas dederant sceleris pro crimine pœnas.
At nostri Italici, fuerant qui castra sequuti
Gallica, pro meritis vinclis gens capta retenta est,
Disceret ut Regnis quid sit descire Latinis,
Et pro barbaricis exponere corpora rebus.
Quod cum magnanimus fore jam Gonsaga videret,
Cesserat incœpto causatus multa relicto.
Immo etiam in causa, fas est si vera fateri,
Contra Parthenopen pugnare putabat iniquum;
Strenuus egregiis modo quam defenderat armis.
Dicat Apollo, Ducis nostri tunc quanta fuerunt
Gaudia, & ejusdem salierunt pectora quanta
Lætitia, & quantis sonuerunt plausibus ædes.
Sed majora forent ut gaudia tanta triumphi,
Tempora purpureo cinctos radiata galero,
Nuntia Parthenopen passim vaga fama per omnes,
Pontifices venisse duos narravit Iberos,

Quo-

Quodque magis mirum est, eadem per tempora palmæ,
Exhausit populi quorum præsentia plausus.
Talis & adventus alacris capit omina Magnus.
Quorum alter, genuit quem tam generosa propago,
Borgia noster erat, cujus si carmine mores
Insignes memorare velim, vel pectora claris
Quanta gerat juvenis, quæ sit constantia mentis,
Quam facilis, quam munificus, quam largus amicis,
Religionis amans, quam sit pietatis amicus,
Quam Ciceronis amans, quam sit sermone disertus;
Non ego si biberim totas Aganippidos undas,
Ulla ex parte queam. Noster quoque, nec minus alter
Surrentinus erat, cujus prudentia quemquam
Non recipit miranda parem, facundaque virtus,
Cujus ab experto quævis fluit ore facultas,
Religione Numam vincens, gravitate Catonem.
Accipit hos magno pariter Dux noster honore,
Extemploque hilaris nitidos habitare penates,
Parthenopeque jubet secum gaudere recepta.
Sed restabat adhuc tanti pars ultima belli,
Clade Cirignolæ qui vix ereptus amara,
Arsius aufugiens Venusinam ceperat urbem,
Dumque tot armatus Liris fera bella videbat,
Jugiter augebant & Gallica castra cohortes,
Spe magna fretus reparandi amissa, propinquos
Semper atrox populos vexavit, & oppida cepit
Plurima, & Hispanos afflixerat undique pugnans,
Qui loca dispositi varia statione tenebant
Proxima, Celtarum jam prælia nulla timentes.
Mittitur hunc contra solers Microcosmus, ut illas
Reliquias Senonum extinguat; velut ille Chimæram
Qui domuit, cinctam flammis, dirisque colubris.
Ursinas igitur secum jubet ire cohortes,
Jussus, & extemplo Venusinum tendit in agrum,
Quælibet incœpti non segnis ad arma paratus,
Unicus alta gerens, expertia cordia timoris.
Territus ut primum contra se viderat iri
Arsius, Ursinæ veritus vexilla cohortis,
Incœptum subito, Venus naque tecta reliquit.
Quo fugiente, simul custos cum civibus arcis

Resti-

Restituunt urbem cum conditione recepta,
Et tormentorum spoliis fugientis onustam.
Pergitur hinc etiam Rosiani ad tecta tyranni,
Fortis adhuc patriæ sedis qui tecta tenebat,
Exulibusque aliis sociantibus arma Tetrarchis;
Oppida qui, necnon arces, castellaque multa,
Et varios populos sua tunc sub jura tenebant.
Jussus in hos equitat semper victricia Solis
Arma Gomez gestans, quo mox adeunte, poposcit
Pacta levis populus sub deditione coactus.
Quin etiam pariter duræ cervicis & ipse
Marzanus capitur, merito quoque tractus in Arcem
Parthenopes, quoniam sancto modo fœdere factas
Fregerat inducias, ductus levitate, verendas.
Vanus Hydrunteos vexabat, & Oyra campos
Fœdere contempto, sibi quod Rex magnus uterque
Sanxerat, inducias simul aspernatus easdem.
Mittitur hunc contra, qui gestat pectore bellum,
Nomen Pacis habens, primo qui Marte coegit
Cedere, & inducias illum non spernere sanctas.
Sed prior his cunctis, qui bella Capaquius aspra
Gesserat, imperio cessit, propriosque penates
Non expectato Martis terrore reliquit.
Tunc etiam fidus Vasti Monarcha relicta
Indicus Inarime, victrici classe recepit
Sulphureum, sed enim facili obsidione Dicarchum;
Dux etiam Baruli dum Magnus castra tenebat,
Erexit volucres, vexillaque Martis Iberi.
Sævaque transmissus post ad Castella Salerni,
Restituit nostris obsessam protinus Arcem,
Vanus Aragonei numquam desertor amoris.
Post ubi finierat tantos Bellona furores,
Atque fatigatis populis, terraque, marique
Parta quies fuerat tandem, penitusque repulsa
Gallorum vesana fames, Dux Magnus amœnam
Parthenopen repetit. Vos, o pia turba Sororum,
Huic etiam extremo, precor, aspirate labori;
Illa revertenti quantos instruxit honores,
Quæve triumphales pulsarunt æthera voces,
Inter laurigeras facies tam pulchra cohortes.

Quum

Quum rediit, qualis qui ditem Persea quondam
Duxerat edomitum celsa ad Capitolia Paulus,
Atque catenatum tota cum prole Tyrannum;
Vel qui Romanas Aquilas inscripsit, & inquit:
En veni, vidi, vici, plaudentibus illis,
Stirpis Juleæ qui dilexere nepotes;
Duxerat aut qualis fusca de peste triumphum,
Restituit Latio qui jam cunctando salutem,
Annibalisque vafros nodos, ansasque resolvit;
Aut qualis rediit plenus popularibus auris,
Barbaricum domuit qui post tria prælia Regem,
Quum primum meriti lux tam expectata triumphi
Affuit, in primis mutat se vestibus omnis
Parthenope nitidis; simul & per strata viarum
Erigit extructis passim tabulata theatris,
Unde triumphantis liceat spectare serenos,
Atque alacres vultus, redimitaque tempora lauro.
Templa coronantur variis redolentia sertis;
Necnon dispositi juvenes, delectaque pubes,
Qui curent, laxentque vias, baculisque repellant
Obstantem turbam, facilis quo transitus esset,
Ac tantæ pompæ melius via lata pateret.
Jamque triumphales turmæ per limina portæ
Lætantes ineunt populi cum plausibus urbem:
Primaque Belgiacæ facta est transmissio prædæ,
Delatumque ingens spolium, galeæque comantes,
Plurimaque abstersi ferri splendentia tela,
Armorum omne genus, pharetræque, ocreæque micantes,
Thoraces, peltæ, mucrones, frena, sarissæ,
Spicula, pila, arcus, vestes, aulæa, tapetes,
Scorpio, balistæ, clypei, tentoria, vela,
Pilea, loricæ, brachæ, vexilla, galeri,
Pocula, crateres, mensæ, lectica, lebetes,
Plurima, perque graves delata est machina currus,
Belgiacis contra nostros fabricata caminis,
Quadrupedumque ingens numerus, pars maxima prædæ.
Exin transmissæ classes, turbæque pedestres,
Invicti juvenum cunei, lectæque phalanges
Hispani generis, Martisque perita juventus.
Inde tribunorum clarissimus ordo subibat,

Cumque suis equitum validis ductoribus omnes,
Atque cicatrices facie monstrante cohortes
Vulneris accepti nostri pro Regis amore.
Ipse Duces inter medius Dux Magnus amatos,
Omnibus arridens, spectantibus undique circum,
Vectus equo incedit, quali stirps illa Philippi
Insedit, quoties acies ad bella movebat.
Ad latus hærebat comitum tutela fidelis,
Scribarumque chorus toto notissimus orbe.
Post magni proceres ibant, generosaque turba,
Insignisque virum series, comitata labores
Bellorum duros, sævique pericula Martis.
Ergo triumphalem quum sic tam læta per urbem
Pompa ferebatur, resonabant plausibus ædes
Undique conspicuæ, populique per ora frequentis
Vox erat unanimis, qualis prodivit ab umbris
Infernis vox illa Patrum, quum dextra Tonantis
Maxima Tartareæ confregit limina portæ.
Magne redemptor ades, Dux invictissime tandem,
Servasti tandem rabidis e faucibus almam
Parthenopen, tandem in vultus servata priores
Te Duce læta redit, tandem lugubria ponit,
Squallentesque habitus, tandem ocia grata resumit:
Dexter ades, felixque veni: sit Corduba fausta,
Quæ te docta tulit, & qui genuere parentes,
Inter felices animas a morte quiescant.
Hæc juvenes referunt pariter dictata, senesque,
Cumque suis pueris spectans matrona fenestris,
Et quæ de forma certant cum Sole puellæ.
Post ubi Nobilium Consessus ducta per omnes
Pompa fuit, vicosque Urbis spectata nitentes,
Arcis ad excelsos regalia tecta penates
Scanditur, & Superis ex religione litatis,
Debita thuriferas solvuntur vota per aras.
Inde triumphalis dimittens agmina turbæ,
Atria Dux tandem se Magnus in ampla recepit,
Nunc ubi Regali compostus sede quiescit,
Et pro Catholico sustentat stemmata Rege.
Dona ferunt populi, gentesque tributa merenti
Certatim apportant, placida jam pace fruentes:

Nil nisi voce tuum, Dux invictissime, nomen,
Virtutisque tuæ laudes ad sidera jactant.
Accipe multiplices, Dux invictissime, honores;
Quoque nites vultu, lætus cape dona tuorum.
Sed tibi Cantalicus Vates quæ dona parare
Digna potest? quem parva domi, tenuisque supellex
Pascit, & omnino magnis affectibus obstat?
Nempe tuis nomen gestis, vitamque perennem
Jam dedit, ut vivas etiam post fata superstes.
Quam non horrisoni Boreæ, non imbrifer Auster,
Vulcani nec flamma vorax, nec longa volantum
Annorum series, pelagi nec finiet æstus.
Nam scelus infandum nimium, facinusque fuisset,
Indignumque nefas, tua facta jacere sub umbris.

FINIS GONSALVIÆ.

CANTALICIUS
AD LECTOREM.

BIs duo, plusque, puto, tenuerunt lustra Maronem,
Dum caneret Phrygii fortia facta Ducis;
Quum tamen illius resecarent stamina Parcæ,
Seque laborantem cerneret ille mori,
Testatus jussit mandari carmina flammis,
Ne non correctum perlegeretur opus.
Ipse per octenas complevi carmina lunas,
In manibus quæ tu, candide lector, habes;
Unde videbuntur tibi si fortassis inepta,
Da veniam, brevitas temporis illa fuit.

CANTALICIUS AD DUCEM MAGNUM GONDISALVUM.

PRisca Duces Magnos habuerunt tempora binos,
Itala terra suum, Græcaque terra suum.
Est tua sors melior, Dux invictissime, gaude,
Non ego sum laudis buccina vana tuæ.
Magnarum rerum dederat quod fama duobus,
Cognomen nostro tempore solus habes.

CANTALICIUS AD LIBRUM.

I Liber a nobis gentes visurus Iberas,
O utinam ut nostris, sic bene charus eas!
Sed potes Hispanis quavis ratione placere,
Gesta quod Hispano prælia Marte canis.
Forsitan & nostri duceris ad atria Regis,
Et tibi forte suam porriget ille manum.
Hæc tibi si tantum contingat, & oscula dextræ
Si dare tam magnæ non odiosa potes,
Ne trepida; Hispanas tibi nam sic ire per urbes
Fas erit, & nostrum sic resonare Ducem.
At si liminibus tantis patiere repulsam,
Qualibet arrepta classe redire potes.

CAN-

CANTALICIUS AD LECTOREM.

QUicunque hoc cupies Poema, lector,
Nostrum currere, vel videre saltem,
Ipsum te moneo cavere, partis
Ne sis assecla forsan Agnoinæ;
Nam laudat liber hic Aragonenses,
Nec mendacia vana, nec rumores
Inanes gerit ore blandienti;
Quamvis talia qui facit Poeta,
Victrices sequitur, colitque partes.

PETRI GRAVINÆ.

INclita si egregios comitatur fama Poetas,
Et sola interitu carmina culta vacant,
Cantalicus vivet ventura in sæcula Vates,
Vivet & Hispani gloria summa Ducis.
Æternum Æneis fecit divina Maronem,
Argo etiam Flacci nomen ad astra tulit,
Lucanumque annos Pharsalia servat in omnes,
Semper erunt Silij Punica bella senis.
Cantalicum sic diva suum Gonsalvia tollit,
Tertius hoc felix carmine Magnus erit.

PETRUS PRISCUS AD MAGNUM DUCEM.

QUis Phrygios cineres, cursus quis nosset Ulyssis,
Mæonides magnum ni cecinisset opus?
Troius Æneas fusca sub nocte jaceret,
Jam nisi grandiloquis Musa Maronis erat.
Cæsaris Annæus caneret nisi prælia Vates,
Cognita non ulli Cæsaris arma forent.
Tu quoque, summe Ducum, fueras sub nocte premendus,
Buccina Cantalicii ni tibi Vatis erat.

IN-

INDEX

RERUM MEMORABILIUM,

Quæ in toto Opere continentur.

LIBER PRIMUS.

PRopositio.
Invocatio.
Præponitur Dux Magnus antiquis Ducibus.
Consutatio.
Capta Troja per annos decem, & fraudolenter.
Bellum Thebanum fabulosum.
Bellum Punicum.
Gesta Thesei fabulosa.
Gesta Herculea fabulosa.
Laus Magni Ducis a veritate.
Narratio.
Mittitur ad Regem Hispan. Bernardinus Bernaudus ab Alfonso.
Oratio Bernaudi ad Regem Hispaniæ.
Mittitur Dux Magnus ad auxilium Regis Alfonsi.
Dux Magnus in Calabriam.
Capitur Rhegium primo prælio.
Vincuntur Galli in Brutijs.
Capitur urbs Seminaria.
Confugiunt Galli ad Terramnovam.
Verba Regis Ferdinandi ad Ducem Magnum.
Responsum Magni Ducis ad Ferdinandum.
Prælium Gallorum, & Aragonensium in Calabria, ubi victi Aragonenses.
Confugiunt Aragonenses Rhegium.
Discessus Caroli Regis ab Italia.
Revocatur Rex Ferdinandus a Neapolitanis.
Exit ex Rhegio Dux Magnus, & Gallos conturbat.
Fugiunt Galli.
Recipitur Calabria.
Themesa, nunc Seminaria.
Terina, nunc Terranova.
Dux Magnus apud Neocastrum hyemat.

Ver-

Verba Magni Ducis ad Socios de se conjungendo Regi Ferdinando.
Invadit Dux Magnus Consentinum agrum.
Capitur Cosentia.
Capitur Vallis Gratis.
Castrovillarum.
Bernaudus.
Lainum oppidum.
Oratio Magni Ducis ad Socios.
Mors Comitis Americi.
Conjungit se Dux Magnus Ferdinando ad Atellam.
Cardinalis Borgia cum Rege Ferdinando.
Dux Magnus ad Atellam.
Virginius Ursinus.
Faciunt deditionem Galli apud Atellam.
Oratio Ferdinandi ad Magnum Ducem.
Responsum Magni Ducis ad Regem Ferdinandum.
Adventus Federici audita morte Ferdinandi.
Verba Ducis Magni ad Regem Federicum de morte Ferdinandi.
Respondet Federicus Magno Duci.
Recipitur Olvetum.
Rogatur Dux Magnus ab Alexandro Pontifice, ut Ostiam Tiberinam recipiat.
Menaus Gallus Ostiam occupat.
Recipitur Ostia capto Menao.
Ducitur Menaus captus ad Alexandrum Pontificem.
Recipitur ab Alexandro honoratissime Dux Magnus.
Verba Ducis Magni ad Alexandrum Pontificem.
Responsum Alexandri.
Alexandri verba in Menaum.
Recipitur Ars Gulielma.
Redit Dux Magnus Neapolim.
Dianum.
Acteon.
Dux Magnus in Hispaniam redit.
Rex, & Regina obviam exeunt Magno Duci.
Verba Regis ad Magnum Ducem.

LIBER SECUNDUS.

Narratio.
Capitur Mediolanum a Rege Galliæ.

Re-

Redeunt Sfortiadæ Mediolanum.
Capiuntur Sfortiadæ fraude decepti.
Veritus Federicus, ne Rex Galliæ contra se rediret, ad eum mittit Bernaudum Oratorem.
Lupum auribus Federicus tenebat.
Rebellant Granatenses, contra quos Dux Magnus.
Quærunt Veneti Ducem Magnum contra Turcas.
Dux Magnus Cefaloniam oppugnat.
Vescitur herbis Dux Magnus in Cefaloniam rerum penuria, & potat aquam.
Somnium Magni Ducis.
Expugnat Dux Magnus Cefaloniam, & restituitur Venetis.
Recipitur Portus Juncus a Duce Magno pro Venetis.
Redit Dux Magnus in Siciliam.
Timor utriusque Regis.
Concordiæ Regum per Regni divisionem.
Divisio Regni in partes duas.
Mittitur Bernaudus ad Ducem Magnum a Federico.
Revertitur Bernaudus ad Federicum sine spe auxilii.
Galli Romam intrant.
Capta Capua, & direpta.
Direptio Capuæ.
Discedit Federicus relicto Regno.
Columnenses ad Regem Hispaniæ.
Federicus ad Regem Galliæ, sed frigide receptus.
Clementia Romanorum in Ptolemæum ejectum.
Dux Magnus venit divisi Regni partem accepturus pro Rege Hispaniæ.
Restituit Imperium Dux Magnus Principibus.
Ravastantes Gallicæ classis Præfectus.
Munificentia Magni Ducis erga hostem.
Dux Calabriæ ad Regem Hispaniæ relicto Tarento.
Principium discordiæ inter utrumque Regem.
Discordia orta.
Prælium Hispanorum, & Gallorum apud Tripallam.
Conveniunt Duces ex utraque parte.
Principes Calabriæ discordiam rerum accenderunt.
Dux Magnus consulit quid agendum rupta jam pace.
Dux Magnus apud Barulum se collocat.
Galli Canusium oppugnant.
Navarrus apud Canusium obsidetur. Fa-

Facit deditionem Navarrus cum suo honore maximo.
Discedit Navarrus relicto Canusio.
Laus Navarri.
Tentant Galli Barulum oppugnare, & Ducem Magnum laniare.
Fugantur Galli ad Barulum a Duce Magno.
Constantia Ducis Magni.
Bernardinus Bernaudus.
Ugo Cardonius ex Sicilia in Calabriam venit.
Cardonius Ugo contra Dominum Mileti.
Vincitur Dominus Mileti cum Sociis a Cardonio.
Fugit Mileti Dominus cum Sociis.
Adventus Emanuelis Benavidii in Calabriam.
Solis Gomez Gallos profligat.
Succurrit Solis Gomez Castello Cosentiæ obsesso a Gallis.
Franciscus Bernaudus.
Pignerius apud Crotonem Principem Rosiani superat.
Aguilera.
Capitur Belcastrum, & incenditur.
Vincitur Princeps Rosiani a Pignerio ad Tacinam fluvium.
Petit auxilium Calabria a Gallis.
Dividunt Galli exercitum in duas partes.
Discedunt Hispani ex Terranova, & Seminaria, audito adventu Barutti.
Aggreditur Baruttus Hispanos abeuntes.
Superantur Hispani, & fugiunt.
Ugo Cardonius mirifice pugnat.
Cardonius similis Horatio Coclitr Romano.
Hispani ad Locros confugiunt.
Mors Grignini Ductoris Gallici.
Baruttus in agrum Cosentinum.
Aperiunt Cosentini portas Barutto.
Solis Gomez ad Manthiam relicta Cosentia.
Galli ad Mottam Bublinam.
Hispani ad Locros.
Revocat Musam Poeta ex Calabria in Appuliam.
Singulare certamen undecim Hispanorum, & totidem Gallorum.
Verba Ducis Magni ad Hispanos pugnatur. os
Nomina XI. Hispanorum.
Nomina Gallorum pugnandorum.
Conflictus.

O Re-

Redeunt Hispani ad Ducem Magnum cum majore parte victoriæ.
Exeunt Galli ex Rubis ad Barulum.
Exit ex Barulo Didacus Mendozius, sternitque omnes.
Laus Mendozii.
Unde ortum est certamen Gallorum, & Italorum.
Indicus Lopes.
Oratio Ducis Magni ad Italicos pugnaturos.
Nomina pugnatorum.
Habitus Italicorum pugnatorum.
Nomina Italicorum XIII.
Oratio populi ad Superos pro victoria Italorum.
Conveniunt Gallici pugnatores totidem.
Victi omnes Galli primo congressu, & ligati.
Certamina antiquorum singularia his inferiora.
Verba Ducis Magni ad victos Gallos.
Defectio Castellaneti ad Hispanos.
Classis Gallorum deleta a Lescano.
Hispana apud sinum Hydrunteum.
Discedit Prorex ex Appulia contra Castellanetum.
Dux Magnus contra Ducem Palizam noctu proficiscitur apud Rubos.
Pugnatur ad Rubos acriter.
Capitur Dux Paliza.
Ductores Italici apud Rubos.
Columnenses.
Dux Thermularum.
Restainus Cantelmus,
Didacus Mendozius.
Franciscus Sances Regius Dispensator.
Trojanus Moriminus Neapolitanus.
Margariton Loffreda Neapolitanus.
Præda Rubis habita Barulum portatur.
Septem naves frumentariæ ex Sicilia ad nostros.

LIBER TERTIUS.

Revocatur Navarrus a custodia Tarenti Barulum.
Occurrit Navarrus Bituntino, & fit pugna.
Loisius Herrera.

Ca-

Capitur Bituntinus.
Ducitur Bituntinus Barulum.
Adventus Teutonicorum ad Magnum Ducem.
Exit ex Barulo tandem Dux Magnus.
Prorex apud Canusium, Dux Magnus apud Cannas castra locant.
Pestifera sitis orta in exercitu Ducis Magni.
Commiseratio Ducis Magni erga milites aestuantes.
Dux Magnus apud Cirignolam castra locat.
Situs Cirignolae.
Oratio Magni Ducis ad Socios apud Cirignolam.
Movet castra Prorex Gallorum contra Ducem Magnum.
Invadunt Galli castra Hispanorum in crepusculo noctis.
Capiunt Galli machinas Hispanorum, & pulvis crematur.
Vincuntur Galli, & fugiunt turpiter.
Strages Gallorum.
Caesar.
Marius.
Epaminondas Thebanus.
Didacus Mendozius.
Prior Messanae.
Indicus Lopes.
Franciscus Sances.
Navarrus.
Pacius Petrus.
Carolus Pacius.
Columnenses.
Dux Thermularum Andreas;
Restainus Cantelmus.
Comes Montorius Aquilanus.
Princeps Nojae.
Hector Ferramusca.
Antonius Marinus, Zurlus, Turaglius Neapolitani.
Margariton Loffreda.
Trojanus Moriminus.
Alegrius, & Loisius Arsius evaserunt.
Castra Gallorum direpta.
Hispani Gallorum mensis vescuntur.
Prorex Dux Nemorsius interfectus.
Verba Ducis Magni super cadaver Proregis.
Sepulcrum Proregis apud Barulum.

Epitaphium Proregis.
Facit deditionem Dux Melphius.
Alia victoria Hispanorum in Calabria.
Adventus Portucarrerii ex Hispania.
Mors Portucarrerii.
Andrada Dux exercitus creatus in locum demortui Carrerii.
Hispani ductores in Calabria, Duce Andrada.
Themesa, nunc Seminaria:
Terina, nunc Terranova.
Invitantur Hispani a Baruto, & acceptant.
Recusant pugnare pedites Cardonii.
Verba Cardonii ad Socios pugnare recusantes.
Prælium Hispanorum, & Gallorum in Calabria, in quo victi Galli, & profligati.
Alfonsus Severinus, Malerba capti.
Evadit Baruttus ad Turrim Angitulam.
Alegrius ad Cajetam elabitur.
Recipitur Capua, & Aversa a Loisio Herrera.
Dux Magnus apud Samnites consistit, & Oratorem Neapolim destinat.
Litteræ missæ ad Neapolitanos a Bernaudo jussu Ducis Magni.
Laus temporis Aragonensis.
Missi XII. Oratores a Neapolitanis ad Ducem Magnum.
Propinquat Neapoli Dux Magnus cum exercitu.
Verba Oratorum Neapolitanorum ad Ducem Magnum.
Responsum Ducis Magni ad Oratores Neapolitanos.
Ingressus Ducis Magni in urbem Neapolim.
Datur cura Navarro expugnandi Castelli novi.
Descriptio Castelli novi.
Turris Vincentia.
Maronis cineres.
Turris Aurea.
Capit Navarrus Vincentiam Turrim.
Expugnatio Castelli novi.
Nugnus Ducampius.
Navarrus.
Didacus Vera.
Dentatus Neapolitanus in ponte pro Gallis pugnans strenue cadit.
Resistentia Gallorum.
Faciunt deditionem Castelli Galli superati.

Claf-

Classis Gallica postridie cum subsidio ad Castellum frustra venit.
Megaris Insula, quæ nunc Castellum Ovi.
Descriptio Castelli Ovi.

LIBER QUARTUS.

NArratio.
Fabricius Columna ad Aprutii Provinciam recuperandam mittitur.
Cantelmus Restainus, Comes Montorius Neapolitanus.
Navigat Aprutium versus Fabritius, recipitque Vastum.
Theate.
Propheta Theatinus.
Vestini.
Castilionenses.
Sulmo.
Aquila.
Taleacotium.
Tenditur in agrum Aquilanum.
Montorius ex altera curat recuperare suos populos, Cantelmus suos.
Fracassa Severinus.
Recipitur Aquila.
Julius Columna.
Ducales populi.
Cantaliciorum fidelitas singularis.
Fabricius ad fauces Casinas a Duce Magno revocatur.
Faciunt deditionem Galli apud Montem Casinum.
Fregellæ oppidum, Ponscurvus a vulgo dictus.
Conjungit se Dux Magnus Prospero Columnæ, & Duci Thermularum apud Fregellas.
Hispani testamentum faciunt, & confessionem, exponentes se periculo.
Vox audita in castris Hispanorum.
Ugo Cardonius moritur.
Dux Magnus ad Molam paulum retrocedit.
Tristanus Cugna.
Proditio Gulielmæ Arcis contra Præfectum Tristanum.
Mittitur Navarrus ad ultionem Arçis Gulielmæ.
Capiuntur Galli ad Itrum a mulieribus.
Mors Alexandri Pontificis.
Cæsar Borgia.

Cedit ab Urbe Cæsar Borgia.
Creatur Pontifex Cardinalis Senensis, Pius Tertius.
Mors Pii Pontificis.
Reversus Cæsar Borgia in Urbem.
Creatur Pontifex Julius Secundus.
Ductores Hispani a Cæsare Borgia dimissi ad Ducem Magnum convolavere.
Ugo Moncada.
Cardinalis Borgia.
Coriolanus.
Hieronimus Olorius.
Loisius Discar, Petrus Castrensis.
Ursinorum reditus ad militiam Aragonensium.
Novus exercitus Regis Galliæ ex Italicis gentibus ad Cajetam missus.
Gonsaga Mantuæ Princeps Dux exercitus Italici.
Manto virgo, Ocnus Rex, unde Mantua.
Oratio Magni Ducis ad Socios novi exercitus adventu.
Redit Dux Magnus ad Montem Casinum.
Oppugnatur Turris Sicca a Gallis, ubi erat præsidium Hispanorum.
Galli ad Aquinum confugiunt.
Invitat Gallos ad prælium Dux Magnus.
Galli ad Lirim fluvium veniunt.
Fabricius Columna, Petrus Pacius.
Dux Magnus ad Lirim se Fabricii castris conjungit cum toto exercitu.
Capitur a Gallis turris apud Lirim cum præsidio Hispanorum.
Vocat Socios ad concilium Dux Magnus, & loquitur.
Verba Ducis Magni ad Socios censentes retrocedendum esse.
Vox Leonidæ Spartani.
Galli facto ponte Lirim transire parant.
Verba Ducis Magni ad militem nuntiantem, jam Gallos transisse.
Præparatio machinarum a Gallis ultra ripam fluvii.
Parat Dux Magnus ipse transire extructo ponte.
Adventus Ursinorum in castra Ducis Magni Duce Microcosmo Liviano.
Microcosmus Livianus, idest Bartolomeus Alvianus.
Fabius Ursinus.
Filius Comitis Petiliani.

Fran-

Francottus Urſinus.
Laurentius Ceretanus.
Julius Vitellius.
Vitellotius.
Locus ad Lauros.
Verba Microcoſmi ad Magnum Ducem.
Andreas Caraphas.
Joannes Tufius.
Bernardinus Bernaudus.
Datur cura Microcoſmo faciendi pontis.
Bernaudus.
Dux Magnus ad Microcoſmum tendit.
Dux Magnus ob pluviam ad Sueſſam redit.
Rebellat Olvetum, Fabritius Columna contra Olvetum.
Alphonſus Roſa.
Jungit ſe Dux Magnus Microcoſmo.
Oratio Magni Ducis ad Socios.
Repetit Dux Magnus res a ſe geſtas.
Tranſitus Hiſpanorum per extructum pontem.
Microcoſmus.
Navarrus.
Petrus Pacius.
Proſper Columna adeſt a Sueſſa.
Verba Magni Ducis ad Proſperum Columnam.
Verba Ducis Magni ad militem, qui illum implicito ſago enſis capulo traxit.
Adſunt Teutonici tranſituri cum Duce Magno.
Oratio Magni Ducis ad eos, dum tranſit.
Tranſit Dux Magnus cum toto exercitu.
Capitur Caſtrum Forte, & Sujus Mons.
Invaditur Alegrius Cajetam revertens a Fregellis.
Proſequitur victoriam Dux Magnus.
Fugiunt Galli relictis machinis, & tentoriis.
Petrus Medices.
Verba Ducis Magni proſequentis victoriam.
Pugnatur aſpere apud fluvii pontem a noſtris contra Gallos.
Carolus Pacius.
Scalata.
Gulielmus Tacca.
Dictum Magni Ducis equo cadente, quem equitabat.

Fu-

Fugiunt Galli ex Mola visis Hispanis.
Tenditur ad expugnandam Cajetam.
Capitur Mons Cajetæ.
Monarcha Saluzus.
Faciunt deditionem Galli tradita Cajeta cum Arce.
Restituuntur captivi Gallorum ex pace traditæ Arcis Cajetanæ.
Conceditur Gallis liber discessus.
Discessus Mantuani Monarchæ ex Gallorum castris.
Arsius Venusium tenebat, unde pulsus.
Microcosmus contra Loisium Arsium, qui tenebat Venusium.
Faciunt deditionem Venusini fugiente Arsio.
Solis Gomez contra Principem Rosiani.
Oyra.
Petrus Pacius contra Oyram Hydrunteos agros infestantem.
Capaquius Princeps cedit relicto Imperio.
Indicus Vasti Princeps.
Vasti Dominus Dicarchum, seu Puteolos recipit, & arcem Salerni.
Magni Ducis triumphalis reditus.
Cæsar.
Cajus Marius.
Pompejus.
Triumphalis pompa.
Transmissio spoliorum.
Triumphalis militum ordo.
Vox populi ad Ducem Magnum transeuntem.

F I N I S.